Q. D. B. V.

IMPERII MEDO-PERSARVM INITIA,

EX VETERIBVS PRISCISQVE MONVMENTIS ERVTA,

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCHIO,

diſputanda proponet

IO. CHRISTOPHORVS LANGIVS,

Poſonio-Hungarus,

In Auditorio Maiori,

Ad D. XXIV. Decembr. A M DC XXCI.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio LIX.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM,
cIↄ Iↄc XCIIX.

I.

QVae corporum, ea imperiorum viciſſitudo eſt, neqve aliter, ac homines, longa aetate conficiuntur et langvent, et ſaepe etiam inſtabilis fortunae documenta ſunt, et in repentina atqve improviſa pericula interdum veniunt, et ſubitis atqve inexpectatis caſibus aliqvando ſubvertuntur. Itaqve florent magis et durant, qvae ſecuritati potius qvam potentiae conſulunt, et parta ſervare, qvam augere malunt, et fide atqve concordia ſocietatem tuentur et colunt, gnaviterqve ac tempeſtive provident omnia et curant, neqve diſtracta frangi ſe ac debilitari patiuntur.

II. Inter exempla Medi et Perſae ſunt, qvorum regna ad certum usqve tempus gloriam et robur ſervarunt, ac deinde velut expleto ſuae felicitatis intervallo, non modo florere, ſed qvoqve ſui iuris eſſe deſierunt. Medi qvidem usqve ad adultam Cyri aetatem, Perſae usqve ad Alexandri Macedonis tranſitum in Aſiam in potentiae faſtigio ſteterunt. Qvod ſane *Dion Pruſaeenſis* inter fortunae beneficia numerat, idqve evidentibus gentium exemplis probat, ac imperia velut naves agitari ſubindicat, et apta adeo ac eleganti tralatione affirmat, Perſas ſecundo hactenùs vento navigaſſe, proſperumqve regni curſum tenuiſſe. Mox felicitatis huius diu continuatae finem terminumqve ſubiungit, et navigantes fortunae ope homines idonea et ſignificante circumlocutione denotat atqve deſcribit. Cumqve id agit, tum praecipue in altisſimo gradu poſitos intelligit, converſionesqve has certis et inſignibus temporum intervallis deſignat, ſuisqve nominibus appellat, et oſtendit, qvamdiu imperii navem rexerint illi ipſi, qvos

introducit πλέοντας, ſive navigantes: introducit autem et definit hos, Ἀσσυρίους μέχρι τῆς Σαρδαναπάλου τρυφῆς. Μήδους μέχρι τῆς Κύρου τροφῆς. Πέρσας μέχρι τῆς διαβάσεως, *in Oratione II. de fortuna, qvae eſt in ſerie orationum omnium LXIV.* Vocabulo διαβάσεως ſignificat tranſitum Alexandri Magni in Aſiam, cuius memorandi occaſionem alibi nactus tradit, Macedonas poſtremo tranſiiſſe in Aſiam, et rem fortunamqve et gloriam amplificaſſe. Etnim diverſa eſt διάβασις εἰς τὴν Εὐρώπην, qvum Xerxes in Europam movit, Graeciamqve infeſtavit, *de qva eſt apud Diodorum Siculum Bibl. Hiſt. XL. 1.* Τὰ τελευταῖα, i.e. *Poſtremo*, nomine vim adverbii habente, ſcripſit, qvando rationem numerumqve iniit ſuperiorum expeditionum, qvae ante Alexandrum contigerunt: loqvitur enim de Macedonibus, qvorum expeditio ductu auſpicioqve Alexandri et ſuſcepta et confecta eſt: qvorſum ſpectat, qvod in *Oratione LXXIX.* dixit, Macedonas poſſesſiones opesqve Perſarum occupaſſe. Namqve τὰ Περσῶν ibi directe atqve ex inſtituto intelligit, qvae Graeci nominant κτήματα, qvippe qvae iure belli pervenerunt ad Macedonas, atqve adeo apertum et firmum occupati Perſarum regni argumentum praebuerunt. Ratio cauſaqve decidendi eſt apud *Scriptorem antiqviſſimum Xenophontem*, cuius verba cum praeſenti inſtituto congruunt, tum ſufficere omnino poſſunt. Νόμος, inqvit, ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιός ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι, καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ χρήματα. *Cyripaed. lib. VII. pag. 136. edit. Baſil. Ioh. Petri & pag. 168, edit. Leunclav.* Σώματα, hic nominat homines, qva ſignificatione Demoſthenes σώματα αἰχμάλωτα, homines bello captos dixit, qvos alibi ſenſu paria faciente αἰχμαλώτους vocat. Spectatqve huc locus *Ariſtophanis*, et ſimul oſtendit, ſervos Iure veteri Attico qvoqve inter κτήματα relatos fuiſſe, in *Plut. act. 1. ſcen. 1.* inprimis eo videatur *Dion Prus. Orat.* XV. Ad hæc σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει appellat Xenophon, qvum

qvum deſignat homines ſocietate civili coniunctos atqve conſociatos: qvos Græci uno vocabulo πολίτας dicunt. Amplius χρήματα legunt omnes antiqvi Codices et recte. Alioqvi nihil fraudi eſt nobis χρήματα, an κτήματα dicamus, qvandoqvidem id modo concludendi, qvi a conſeqventi ſumitur, non repugnat, ac per ſe patet ſatis notumqve eſt, Ius imperii in homines qvoqve complecti ius atqve poteſtatem in eorum bona atqve fortunas, et poſſesſiones omnes, tanqvam accesſiones eo pertinentes. Νόμον intelligit ius non ſcriptum, idqve univerſe approbatum, et gentium nationumqve cultiorum conſenſione roboratum, qvo ea, qvae ex hoſtibus iuſto bello capiuntur, ſtatim acqviruntur, atqve tranſeunt in ius ditionemqve victoris. Ea huius vocabuli ſignificatio freqvens eſt, et ab Oratoribus interdum adiecto explicationis cauſa vocabulo notatur atqve definitur. Huncad modum *Andocides in Oratione de Myſteriis* 1. pronunciavit, ἀγράφῳ νόμῳ τὰς ἀρχὰς μὴ χρῆσθαι, atqve ſic non ſcriptum ius non eſſe Magiſtratibus adhibendum, pro ſtatu illorum temporum innuit ac affirmat, qvod *Alphonſus Miniatus* ad verbum reddidit, atqve hac interpretatione uſum fori Graiorum et Qviritium non bene diſtinxit. *Andociden* ſecutus *eſt Dio Pruſ. Orat. LXXVI. Vetus Tragoedi Scholiaſtes* ait: ὁ τῶν ἐθνῶν νόμος *Andronicus paraphraſtes videtur nominaſſe* ἀνθρώπινα κατὰ συνθήκην γινόμενα δίκαια, *lib. V. c. X. Eth. Nicom.* Nec diſſimili modo θεσμοὺς ἀνθρωπίνους *dixit direxitqve ad* ἔθνη καὶ πόλεις *Libanius, in declamat. XIX.* Hoc pacto *Cicero iura hominum* nominat, qvae alias iura gentium dicuntur, nec abit *Livius*, qvi *ius humanum* appellat, qvod moribus populorum receptum eſt, *ille in Orat. pro A. Cluentio, hic V. 37.* Recte ergo *Athanaſius Rhetor* τὰ νόμιμα a τοῖς γεγραμμένοις νόμοις diſtinxit. Atqve his etiam παραγεγραμμένους, tanqvam νόθους et perperam ſcriptos oppoſuit *Demoſthenes, in Orat. de Corona. Verum diverſi generis et alius loci ſunt* τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν, *de qvibus eſt apud Baſilium Magnum in lib. de Spiritu S. c. 27.*

III. Sed enim hunc Alexandri tranſitum *Arrianus* nominavit ἀνάβασιν, indicans, eum usqve in interiores Aſiae regiones magno et itineris et expeditionis labore penetraſſe. Eodem nomine inſignitur celebraturqve Cyri minoris expeditio in Aſiam, qvae dicitur a *Xenophonte* ἀνάβασις, propterea qvod is cum exercitu in Aſiam ſitu tenus ſuperiorem inſtructis copiis contendit. Fuit autem duplex Cyri ἀνάβασις, qvarum altera proprie dicta, *in lib. I. de Cyri expeditione*, *altera in lib. II. Hiſt. Graecarum Xenophontis* deſcripta extat. Atqve hanc Cyri minoris expeditionem in Perſiam attingit *Iſocrates*, *qvum* τοὺς Κύρῳ συναβάντας commemorat, nempe eos, qvi iuxta cum ipſo in Perſiam aſcenderunt, *in Panegyrico pag. 102. edit. VVolff.* Denotat autem *Arrianus* validam Alexandri Magni expeditionem, qvando feliciter et animoſe eduxit exercitum, magnumqve Aſiae imperium, fato urgente prolapſum, occupavit. Situs ceteroqvin altior vocabulo ἀναβάσεως innuitur, qvem Geographi et Hiſtorici communiter per τοὺς ἄνωθεν, velut ſupra habitantes, exprimunt ac declarant. Similiter ὑπερκειμένους nominant populos altius ſitos, qvod ex *Agathemere* confectum dabo, qvi in hanc ſententiam ſcripſit: πρὸς ἄρκτον ἡ Μαιῶτις ὑπέρκειται λίμνη, *lib. II. c.* XIV. Neqve aliter *Strabo*, qvi diu ante eum vixit, idemqve hoc verbum ſæpiſſime uſurpavit, qvod docent formulae ſeqventes: τὰ ὑπερκείμενα ὄρη καὶ οἰκοῦσι. Sic et τῶν Καουάρων ὑπέρκεινται Οὐοκόντιοι, *Geograph. lib. IV. et alibi pasſim.* De τοῖς ἄνωθεν, et τοῖς ἄνωθεν ἔθνεσι, *conf. Dio Chryſoſtomus in Orat. XI. pag. 192. et Orat.* LXXIX. *pag. 664. Tali modo dixit Xenophon* πορεύεσθαι ἄνω, qvod alibi ἀναβαίνειν, *Cyr. exped. lib. I.* Qvae cur maiori teſtimoniorum apparatu ediſſeram, latiusqve exponam, non fert inſtituti ratio, neqve ulla neceſſitas cogit.

IV. Ceterum res Perſarum non tam fortuna, qvam vita convertit, poſtqvam a virtutibus, qvibus Imperia continentur, receſſerunt, ac ab arte militari ad libidinem atqve ineptias deſci-

deſciverunt, laborumqve patientes et fortes eſſe deſierunt, ac deniqve in togae ac belli ſtudiis nihil praeclare et utiliter faciendum ſuſceperunt. Proinde huius tota Aſia florentisſimi Regni inclinatio et calamitas non a caſu, qvi ſaepe, nec ſine divino nutu in rebus humanis dominatur, ſed ab alia et altiori cauſa arcesſi debent, qvam *Xenophon* perſcrutatus eſt, et ſapienter reddidit, literisqve mandavit. Qvippe qvi Perſas deſcribit ac nominat impios, iniuſtos atqve effeminatos, et malis moribus mutatos prorſus atqve depravatos. *Appellat enim* ἀσεβεστέρυς περὶ Θεὺς, καὶ ἀνοσιωτέρυς περὶ συγγενεῖς, καὶ ἀδικωτέρυς περὶ τὺς ἄλλυς, καὶ ἀνανδροτέρυς τὰ εἰς τὸν πόλεμον νῦν, ἢ ἔμπροσθεν, *lib. VIII. Cyripaed. fine.*

V. Igitur *Dioni Pruſaeenſi* ob declamationis decorum, qvod Graeci πρέπον vocant, fortunae elogium ultro et libenter relinqvimus, ſed converſionis principium, et magnae regnorum vicisſitudinis vim effectumqve aliunde repetimus, et vindex ſcelerum Numen invenimus, qvod *Xenophon*, ut cordatus ſcriptor, et a Dione ipſo alias iure laudatus eſt, non disſimulat, et Deum reverenter nomitat atqve cognoſcit. Propior nihilominus cauſa qvoqve aeſtimanda eſt, ut intelligatur, vel ideo praecipue elanguiſſe rem Perſarum, qvod regnum non iis artibus, a qvibus a Cyro maiore qvaeſitum erat, ſucceſſores retinerent atqve tuerentur. Poſtqvam enim regendi prudentia a parente et auctore illius regni tradita, et belli uſus diſciplinaqve ſuperiorum temporum obſoleverunt, resqve eqveſtris ac venatio certaminaqve alia, velut belli officina et ludus, non modo non culta, ſed ne tunc qvidem curata ſunt, deliciaeqve et luxus invaſerunt expugnaruntqve animos, et inceſtuum ſumma turpitudo ac foeditas Regum connubia polluit, ac libido adeo omnia divina humanaqve iura violavit, neceſſe fuit, prolabi Rempublicam et ruere ad interitum, et qvia aliter ſervari non poterat, ſic tandem pati ſervitutem. *Degenerantis a*

Cyro

Cyro aetatis Perſarum initium a Cambyse capiendum eſt, apud Herodotum in Thalia III. 30.31. Namqve is fraterno ſangvine manus imbuit, et ſororem inceſto flagitio contaminavit. Explicandus inde Xenophon eſt, qvi corrupti moris et ignaviae atqve heluationum Perſicarum initia ab Artaxerxe duxit, Cyripaed. lib. 8. pag. 240. ſeq. Praeter hos labem periurii Perſis aſpergit Libanius, nominatqve ſubtiles et promptos ad fallendi artes, et fatetur δεινοὺς εἶναι καὶ κλέψαι, καὶ παραχρήσασθαι, καὶ δι' ἐπιορκίας ῥᾷστα ἂν ὑφελέσθαι, *in baſilico, p. 123.* Nec Magi ſacrorum antiſtites et magiſtri ſapientiae doctrinaeqve omnis omittendi, nedum impietatis et inceſti criminis abſolvendi ſunt. vid. *Clem. Alex. in protreptico, Diogenes Laertius in lib. 1. prooem. nec non Catull. epigr. XCI. et Ovid. metam. X.*

VI. Omnino ad liqvidum perducta ratio eſt, qvamobrem huius regni felicitas cum Cyro maiore pariter coeperit atqve deſierit: idqve eo ſpectat, ut oſtendam, cum moribus mutari fortunam, melioremqve fingi ſapienter et iuſte agendo, atqve adeo ad ipſa Cyri initia me convertam, et qvibus modis Magnum Aſiae imperium conſecutus ſit, ſummatim percurram. *Dio Pruſaeenſis,* qvem ſaepius adduxi, Cyrum Perſis fato datum exiſtimat, eamqve ob cauſam regni illius *genium* nominat, ut qvi conſilio et fortudine Perſas ex ſervitute ereptos in libertatem aſſeruiſſet, novumqve et rerum magnitudine excellens imperium condidiſſet. ὅς, *Cyrum denotans, inqvit,* δουλεύοντας αὐτοὺς (Πέρσας) Μήδους πρότερον, εἰς ἐλευθερίαν ἀφείλετο, καὶ πάντων ἀπέφηνε δεσπότας τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, *in Orat. XXV. de Genio.* Praeterqvam enim qvod Medi Perſis iugum impoſuerunt, Aſtyages qvoqve Medorum Rex oblitus neceſſitudinum, in ſangvinem et viſcerum ſuorum partem acerbius conſuluit, indignumqve facinus in Cyrum nepotem admiſit, qvod cur is deinde ulciſceretur, cauſam atqve occaſionem ſibi datam eſſe cenſuit, et iudicio gentium experiri voluit, ſumptisqve armis

Aſtya-

Aſtyagem devicit, regnumqve eius occupatum cum ditione Perſarum coniunxit. *Vid. Herodotus I. 107. 108. ſeqq. usqve ad 131. Aſtyages* non tenuit cum ratione regnandi modum, et priſtini moris integritatem ambitione et crudelitate mutavit, atqve a regula *Deiocis*, ſapientis et iuſti eius regni conditoris, immane qvantum receſſit, qvod non poteſt non eſſe manifeſtum, *ſi Herodoti I. cap. 98. et 99. ubi Regis primi acqvirentis iuſtitiam prudentiae rectoriae fundamentum ſervantis et cuſtodientis, τὸ δίκαιον φυλάσσοντος, inſigne luculentumqve exemplum eſt, cum capite 108. & 119. contendamus: addatur Valerius Maximus I. 5. in exempl. ext. Seneca III. 15. de ira, et inprimis Iuſtinus I. 4.* Idcirco ulciſcendae iniuriae titulus vel praecipuus, vel non poſtremus, Cyro fuit, qvem ei qvoqve ſuggerit Harpagus *apud Iuſtinum* libro I. 5. 8. Nec defuit propulſandae ſervitutis ſpecies, qvando PERSA noluit in ſervitute eſſe Perſas, nec potuit deſtinare, nedum occupare Aſiae imperium, priusqvam Medos ſubegiſſet. Hinc *Strabo* ait, Cyrum redactis in poteſtatem Medis, ſtatim invaſiſſe Lydos, et reliqvos Aſiae populos viciſſe, ditioniqve ſuae ſubieciſſe, *Geograph. libro XV.* Πέρσαι δ' ἀφ' οὗ κατέλυσαν τὰ Μήδων, εὐθὺς καὶ Λυδῶν ἐκράτησαν. Nam apud Medos Lydosqve magna inprimis erat pecuniae opumqve vis, qvae nervum belli et robur, materiamqve ſtipendiis praebet. Medorum profecto divitiae paſſim memorantur, qvorum amplas facultates et inſignem cultum vel id commonſtrat, qvod in camelis eqvitare conſveverunt, *apud Ariſtophanem in Avibus, ubi ſcholiaſtes ad verba:* πῶς ἄνευ καμήλου Μῆδος ὢν ἐπέπτατο, *haec commentatur:* ὡς τῶν Μήδων ὡς ἐπὶ τῶν καμήλων ὀχουμένων ἐπὶ τῇ τῶν πολέμων ἐξόδῳ. *Notat per ſchema Comicus, pernicem Medorum eqvitationem in camelis fieri ſolitam, ac rei et militiae eqveſtris ſtudia ibi valuiſſe innuit, atqve alibi, et nominatim in Veſpis, Medum nominat, qvem nativa dictione Graeci nominis nationisqve hoſtem nominare potuiſſet.*

Vid. ibi ſcholiographus, cui explicando facit locus Herodoti VI. 112. τέως ἦν τοῖσι Ἕλλησι καὶ τοὔνομα τὸ Μήδων φόβος ἀκοῦσαι. *Occurritqve hic animo, qvod Pruſaeenſis ultima illa tempora, qvae Cyrum praeceſſerunt, reſpiciens dixit:* ἀμάχων Μήδων γένος, *orat. LXIV. de fortuna. Tum gravis ac prudens ſcriptor Polybius confirmat,* τὴν Μηδίαν ἀξιοχρεωτάτην κατὰ τὰς ἀρετὰς τῶν ἀνδρῶν, καὶ ἵππων. *X. 24. Nam Medi fuerunt boni eqvites, et multa etiam in bello praeclare fecerunt. Nec modo Medorum arma, ſed etiam veſtes celebrantur, ſine dubio ob elegantiam et cultum, vid. Herodotus capite centeſimo duodecimo libri iam adducti, ubi* ἐσθῆτα Μηδικὴν *nominat* μετωνυμικῶς, *Medosqve Graecorum hoſtes intelligit atqve circumſcribit. Procopius autor eſt, veſtem, qvae nunc ſerica dicitur, olim Medicam fuiſſe appellatam, de bello Pers. lib. I. Purpuream Aſtyagis veſtem deſcribit Xenophon, Cyrip. I.* Μήδων στολὴ *memoratur a Pruſaeenſi Orat. XXXV. nec non* Μηδικὴ τράπεζα, *apud eundem orat. XXXIII. Pertinet eo inſigne divini vatis Oraculum, qvod legitur Eſaiae* XIII. 17. *LXX. reddunt:* ἰδοὺ, ἐπεγείρω ὑμῖν τοὺς Μήδους, οἳ ἀργύριον οὐ λογίζονται, οὐδὲ χρυσίου χρείαν ἔχουσι. Lydorum qvoqve opulentia nota atqve inſignis fuit, praeſertim aetate Croeſi, qvam abundantia rerum omnium, et magna praeſertim auri copia illuſtravit. *Hanc in ſententiam* τὰ Κροίσου *exaggerat Pruſaeenſis Orat. XLVII. Alibi de fortuna loqvens ait:* Κροίσῳ δίδωσι χρυσὸν (ἡ τύχη) *Orat: LXIV. Nec figura non utitur Libanius, qvum de impenſa in portum Seleuciae facta loqvens, apodoſin comparationis* αὐξητικῶς *inſtruit, et ſumpto ſchematis cauſa aurifero Pactolo ſic orationem accommodat, ut ſimul opes Croeſi maximas innuat ac oſtendat.* ὅσον (χρυσὸν) οὐδὲ Κροίσῳ πακτωλὸς ἐθησαύρισε, *in Antiochico. Etenim tradit Strabo, Croeſum maioresqve ipſius ex aureis Pactoli ramentis magnas divitias comparaſſe, Geograph. XIII. Idqve non ex mythographis, qvos interdum Strabo ſeqvitur, ſed ex Herodoto ſumpſit, Terpſich. V. 101. Add. Dio Prus. orat.*

LXXIIX.

LXXIIX. *Comprobat etiam inter Patres* πολυμαθέστατος *Clemens Alexandrinus in paedagogo lib.* III. *Saltem exinde licet intelligere, regnum Croeſi pecuniis divitiisqve fuiſſe affluentisſimum, qvod ſane Herodotus alibi planius ſimpliciusqve indicat, qvum ſcribit.* Κελεύσαντος Κροίσου, τὸν Σόλωνα θεράποντες περιῆγον κατὰ τοὺς θησαυροὺς, καὶ ἐπεδείκνυον πάντα ἐόντα μεγάλα τε καὶ ὄλβια, I. *29. 30. Opinione enim Croeſi* magna beataqve videbantur, ſed reipſa haec talia *non erant, atqve adeo non* διὰ τὸ εἶναι, *ſed* διὰ τὸ δοκεῖν *exponenda ſunt, qvod Solonis reſponſum evincit* I. *32. Summatim Lydorum regni fertilitas ubertasqve deſcribitur a Xenophonte Cyrip.* VI.

VII. Victo et in ditionis fidem accepto Aſtyage, praeterqvam qvod Cyrus ad ſubigendos finitimos aditum ſibi patefecit, tantam qvoqve potentiam adeptus eſt, ut nemo deinceps eſſet, qvi eum prohiberet, qvominus in reliqvam Aſiam duceret, prolatoqve regno totam occuparet. Croeſum qvidem affinis et vicini regis càſus de periculo inſtanti admonuit, ſed progredientis impetum ſiſtere non potuit, neqve copias perinde firmas et magnas, neqve uſu et diſciplina caſtrenſi aeqvales habuit, traiectoqve Haly fl. Apud Pteriam Cappadociae tractum caſtra poſuit, nec multo poſt infeliciter conflixit, cladeqve accepta Sardes diffugit, viribusqve fractis, neqve ad reſiſtendum prudenter comparatis, externa incertaqve ſubſidia exſpectans, male ſibi conſuluit, vivusqve tandem in poteſtatem Cyri venit. *Vid. Herodotus* I. *76. 77. 78. 79. 80. 81. ſeq. 86. Cteſias in Phot. excerpt.* LXXII. *Xenophon Cyripaed VI. Croeſus captivus ad Cyrum haec verba locutus eſt.* Χαῖρε ὦ δέσποτα, *partim ut fateretur, ſe eſſe in poteſtate victoris, qvem nomine liberis populis inviſisſimo* δεσπότην *conſalutat, partim ut hac appellatione iratum Cyri animum demulceret, partim deniqve ut violatae fidei poenam qvaſi tacite hoc modo deprecaretur. Sine dubitatione adhuc verſabatur ei ante oculos*

 exem-

exemplum, qvod in Filio, qvem Cyro obſidem dederat, in conſpectu Patris ſtatutum eſt, qvodqve matrem usqve eo afflixit et conturbavit, ut veluti attonita luctu e muro Sardium praecipitem ſe daret, qvod Cteſias praedicto loco tradit. Habuit autem Cyrus in caſtris Perſas, Medos et Hyrcanos, qvorum pleroſqve etſi ditioni ſuae obnoxios tenuit, tamen ante pugnae diſcrimen tanqvam amicos et ſocios allocutus eſt, atqve adeo prudentis belli imperatoris munus recte aeſtimavit et gesſit. Accurate Xenophon, ὡς συμμάχους καὶ κοινωνοὺς a Cyro appellatos fuiſſe memorat, Cyrip. IV. Nam appoſita nota ſimilitudinis detrahit de ſignificatione inſigniori, qva continentur omnes ii, qvotqvot foedus belliqve gerendi ſocietatem contraxerunt. Idcirco συμμαχία denotat foedus, idqve tale, qvod cum inferendi, tum defendendi belli cauſa initur, atqve hoc modo ab ἐπιμαχία diſtingvitur, qvae foederis ad defenſionem pertinentis notionem habet, id qvod apud hiſtoricos pariter atqve Oratores, praecipue apud Iſocratem et Thucydidem inveniamus. Proinde Perſae et Medi ius συμμαχίας non habuerunt, propterea qvod ius huius foederis non poteſt ſeiungi a iure belli, qvod neutri vindicare ſibi poterant, qvoniam in exqviſitisſima parendi conditione erant, atqve adeo non alio nomine cenſebantur, qvam ii populi, qvi herili regum imperio et poteſtate continentur. Tantum autem inter συμμάχους, atqve inter eos intereſt, qvantum inter αὐτονόους, et ὑπηκόους, ſive qvantum inter liberos et ſubiectos. Hyrcanii a Cyro in amicitiam foedusqve aſciti, Φίλοι καὶ σύμμαχοι nominantur, apud Xenoph. IV. p. 108. et 94. collat. Qvanqvam non eſt dubium, qvin regis maximi et bellicoſisſimi nomen et autoritatem comiter habuerint, qvippe qvi iam per tot regum populorumqve clades ad ſummam terrarum orbis potentiam graſſabatur. Hinc Strabo Hyrcanos ditioni Perſarum annumeravit, Geogr. XI.

VII. Igitur Cyrus, armorum et eqvitandi peritisſimus Rex,

Rex, primus inter Perſas magnum Aſiae Imperium ſuſcepit, ac tenuit, illudqve mole ſua fundavit, et opibus auxit, victoriisqve nobilitavit, atqve hac dignitate poſteris et ſucceſſoribus praeluxit, atqve hoc ordine omnes ſuae nationis reges praeceſſit multumqve antevertit. Eqvidem non ignoro, *Aeſchylum* tradidiſſe duos Perſarum Reges ante Cyrum, ſed ut ab eo diſſentiam, vetera *Beroſi et Megaſthenis monumenta, et omni exceptione maior Ptolemaei canon, et vetuſtate praeſtans Herodoti hiſtoria, et Graecorum fere omnium conſenſus facile me adducunt et perſvadent.* Qvanqvam autem ultimis Perſarum temporibus vixit floruitqve *Aeſchylus*, et plerasqve eorum res vidit praeliisqve interfuit, tamen hiſtoricorum fides nunc debet eſſe potior, qvod Poetarum inſtitutum valde diverſum eſt, et ab hiſtoria qvam longisſime recedit. Sive ergo decoro artis, ſive expolitioni tragoediae verum fabuloſumqve de induſtria miſcentis atqve temperantis hoc *tribuat Aeſchylus*, id nunc ad me non attinet, neqve efficit, ut hiſtoriae leges convellantur. Nuper tamen *Thomas Stanleius*, homo Anglus, idemqve Graece doctisſimus, ſententiam iuxta et auctoritatem *Aeſchyli* vel hoc inprimis argumento defendere voluit, qvod res Perſicas praeclare cognitas habuiſſet, ac in ea tempora incidiſſet, et aliqvoties contra Perſas dimicaſſet, atqve in pugna etiam Marathonia pariterqve Salaminia et Plataeenſi fortiter ſtetiſſet, *V. Comment. in Aeſchyl. p. 773.* Verum haec omnia, qvantamcunqve ſpeciem praeferant, vel ideo nihil probant, qvoniam res aetatesqve regum Perſarum verſibus attigit, et ſcribendo vatis perſonam ſumpſit atqve ſuſtinuit, et ſummatim genus *mythicum* eſt conſectatus. *Vid. tragoedia, qvae inſcribitur Perſae, edit. Henr. Stephani, pag. 162. ubi vetus, atqve a Petro Victorio recognitus Scholiaſtes nihil, qvod ad Perſarum Chronologiam ſpectat, annotavit.*

IX. Atenimvero non ſolus *Stanleius* in conſtituenda

regum Perſicorum ſucceſsione Aeſchylo nimium indulſit, ſed etiam aliqvanto poſt civis eius *Ioannes Marsbamus*, id ſibi faciendum putavit, ut reges rationesqve Perſicas ex ſententia Aeſchyli ordinaret, idqve auctore etiam *Xenophonte* confirmaret. Cuius et in ſcribendo diligentia et candor omnibus explorata ſunt, neqve tandem, niſi temere, negari poſſunt. Iure hic dolendum eſt, intercidiſſe Perſarum faſtos, qvos *Beroſus Megaſthenesqve* inſpexerunt, qvosqve ad Ioſephi tempora perveniſſe integros, haud dubitamus. De Xenophonte autem dicere neceſſe habeo, eum in *Cyripaedia* non voluiſſe tradere hiſtoriam ſucceſsionis regum Perſiac, ſed imaginem duntaxat boni ſapientisqve regis in Cyro effingere ſtuduiſſe. Monet enim, et inſtruit formatqve principem, qvalis eſſe debeat, non, qvis fuerit deſcribit. Appoſite *Cicero* omnium Graeciae monumentorum peritiſſimus tradit: *Cyrus ille a Xenophonte non ad hiſtoriae fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii, lib. 1. ep. 1. ad Qvinctum Fratrem. Qvod dictum ſententia ſua comprobant Deſiderius Erasmus, Iuſtus Lipſius, Ioſephus Scaliger, Gerbardus Ioannes Voſſius, ac noſtra memoria, praeter Marsbamum, docti fere omnes.*

X. Iam res ipſa poſtulat, ut ſeqvamur Herodotum, Xenophontemqve deſeramus, propterea qvod antiqvi prope omnes illius hiſtoriam, qvae ad res originesqve *Medoperſicas* ſpectat, retinent ac probant, et qvod huius rei caput eſt, minime ab ea diſcedunt rationum coeleſtium artifices, iidemqve gravisſimi ad aſſentiendum auctores. Niſi qvod *Cteſias* ſcriptum reliqvit, Cyrum cum Aſtyage nullam habuiſſe necesſitudinem atqve cognationem. Illud autem pro vero accipit, ultimum Medorum regem fuiſſe Aſtyagem, in qvo et cardo huius controverſiae vertitur, et Herodoti ſententia confirmatur, *in excerptis Phot. ſupra nominatis.* Subſcribit *Thucydides*, et qvum attingit Perſica, Cyrum nominat, et iis deſignat

gnat

gnat appellatqve verbis, qvae plana ſunt, ac neminem dubitare ſinunt. *Meminit enim* Κύρου, περσῶν πρώτου βασιλεύοντος, καὶ Καμβύσου τοῦ υἱέως αὐτοῦ. *hiſtor. I. Tacite, opinor, conſentit ſcholiaſtes, qvi nihil praeterqvam rationem Grammaticam explicavit, et* ἀττικῶς λεγόμενον ὄνομα τοῦ υἱέως *ſubiecit, curſimqve denotavit.* Exiſtimo qvoqve huius ſententiae fuiſſe *Diodorum Siculum*, qvando everſum Medorum regnum cum fundato Cyri imperio eventus et fortunae ſocietate coniungit, *Biblioth. hiſtor. XIII. 22.* Aperte tradit Strabo, Mediam regno, qvod hactenus tenuiſſet Aſtyages, a Cyro Perſisqve fuiſſe privatam, *Geograph. XI. Nam de Media loqvens ſcribit:* ὕστερον δ' ὑπὸ Κύρου καὶ Περσῶν ἀφαιρεθεῖσα τὴν τοσαύτην ἐξουσίαν Ἀστυάγου, *qvae verba non apte ſatis reddita in Baſileenſi et vulgari editione reperiuntur. Et lib. XV.* οἱ Πέρσαι κρατήσαντες Μήδων, καὶ ὁ Κῦρος. *Pariter Dio Chryſoſtomus* κρατήσει Μήδων Κῦρος, *orat. LXIV. Conſulto hic praetermitto, qvod Graece docti ſolent obſervare, notione imperandi hoc verbum tali modo eſſe conſtruendum, qvamvis non ignorem, apud Iſocratem cum caſu accuſandi iunctum inveniri, in panegyrico. Simul recordor, Dionem Chryſoſtomum utroqve caſu poſitum enunciaſſe, exempli gratia,* τοὺς Ἕλληνας ἐκράτησαν, *Orat. XXXIII.*

XI. Neqve mihi adverſatur Libanius, excepto, qvod parti imperii modum attinet, de qvo longe aliter pronunciat et ſentit, clariusqve Cyri bellum, qvam iuſtius fuiſſe confirmat, et nunc eius avaritiam, nunc impietatem reprehendit. Ἀνδρωθεὶς, inqvit, καὶ νικήσας Πέρσας, Μήδοις ἐπελθὼν τὸν πάππον διέφθειρε· τὸ μέν τοι πλεονίξας ἐπιδειξάμενος. τὸ δὲ δυσσεβείας οὐ πόρρω, *in oratione III. qvae Baſilicus inſcribitur.* At Cyrus non vicit Perſas, ſed incitavit perſvaſitqve ad defectionem a Medis. οὐκ ἐνίκησε dico, ἀλλ' ἀνέπεισε ἀπίστασθαι ἀπὸ Μήδων, *vid. Herod. I. 125. 126.* Qvare inſignior Atticae ſvavitatis cultus, et declamandi nitor apud Libanium non indicant ſemper accuratas hiſtoriae

ratio-

rationes, qvas iam ex Herodoto confectas habeo, qvasqve ante Libanium probat rhetor Chryſoſtomus, ille Atticae elegantiae artifex pariter, et Lyſiae diligentiſſimus imitator, qvum memoriae tradidit, Cyrum Perſas antehac Medis addictius parentes, ſervilemqve in modum obſeqventes reſtituiſſe in libertatem, *Orat. XXV.* Tantum vero abeſt, ut dici poſſit, invitos Perſas a Cyro ad obſeqvium fuiſſe redactos, ut qvoqve affirmandum ſit, eum volentes, dataqve tunc occaſione excitatos, ductu atqve imperio ſuo in libertatem vindicaſſe, qvorum ingenium praeclare cognitum habuit, et iugum crudelitatemqve Medorum penitus averſari intellexit. Eo ſcripſit Diodorus, et interrogandi *ſchemate* rationem cauſamqve everſi Medorum regni expedivit. Τι καθεῖλε, inqvit, τὴν Μήδων ἀρχήν; ἡ πρὸς τὺς ταπεινοτέρυς ὠμότης. Inde conſtat, Perſas Medorum crudelitate abalienatos, manſvetudine retineri potuiſſe, nec difficile fuiſſe Aſtyagi ſervare regnum, qvod ſua et domeſtica potentia nitebatur: ex adverſo Cyrus alieno et precario auxilio indigebat, neqve ante hos motus privati modum excedebat. Qvamobrem rurſus ibidem Diodorus, priorem eamqve privatam Cyri vitam conſiderans ait, ἐξ ἰδιώτυ, τῆς Ἀσίας ὅλης ἐβασίλευσε. Ratio civilis prudentiae id profecto ab Aſtyage reqvirebat, ut Perſas libertate multatos imagine libertatis ſapienter mulceret, et, qvamlibet ab iis alienior, regnandi cauſa minimum benevolentiam prae ſe ferret. Sed inviſa regum dominatio neqve diuturna, et raro felix eſt, praeſertim qvum populus longe diſſitus, a valido et potente vicino repente mutari, ac facile impelli poteſt ad ſeditiones. Proinde Cyrus Perſarum in Medos odium ad explendam ſuam ultionem adhibuit, eosqve perſvaſione in ſententiam inferendi belli adduxit, atqve ita has partes ſatis callide egit: de nulla autem re minus, qvam de iuſtitia cogitavit, qvum ejus belli dux et autor fuit. Vel enim Cyrus bellum fecit, ut vindicaret illatam infanti

ſanti ſibi iniuriam, vel ut Perſas in provinciam redactos aſſereret in libertatem. Vtrolibet modo ſententiam dicamus, iniuſte fecit. Etenim privato homini ſummum factorum regis iudicium tribuere nefas eſt, propterea qvod regum ultio ad gentes pertinet, qvae ius imperandi habent. Deliqverit ergo Aſtyages: attulerit Cyro iniuriam, ſcelusqve perpetrandum deſtinarit: non tamen id perpetratum eſt, nec ideo Cyrus fuit iudex Aſtyagis, multo minus puniendi ius in eum habuit, neqve tali in ſtatu fuit, ut regni ob delictum auferendi poteſtatem ſumere ſibi iuſte poſſet. Namqve ius poenae, qvod ex delicto iniuriave oritur, in foro gentium nemo obtinet, praeterqvam gens in gentem: qvae idonea et habilis puniendi ratio minime tunc cum Cyri conditione congruebat. Si maxime etiam Cyrus pro libero ſe gesſiſſet, atqve in eum ſtatum deveniſſet, ut belli iure agere, et experiri armis integrum ipſi liberumqve fuiſſet: non id protinus eo ſpectat, ut evertendi regni Aſtyagis ius poteſtatemqve conſecutus eſſe cenſeatur. In aeqvo et bono gentium iudicio non inſpiciuntur colores duntaxat et ſpecioſa nomina, ſed rationes cauſaeqve veram, nec fucatam belli iuſtitiam probantes expenduntur. *Εἰρήνην καὶ πόλεμον οὐχ᾽ ἡ τῶν ὀνομάτων ἀξίωσις, ἀλλ᾽ ἡ τῶν χρωμένων διάταξις, ἀληθέστερον γνωρίζειν πέφυκε,* Heliod. VIII. Atqvi ex facinore ab Aſtyage in privatum, ut tunc Cyrus erat, admiſſo, nec dum impleto et conſummato, cauſam occaſionemqve auferendi regni ſtatim arripere, et motum ſeditionemqve excitare, minime per honeſtas acqvirendi rationes licebat. Praeſertim qvum reſtabat modus reconciliationis ſine bello faciendae, qvae tanto facilius ſperari et obtineri potuit, qvanto arctius inter avum nepotemqve vinculum ſangvinis fuit. Illud etiam prius potiusqve Cyrum decebat, ut admonendo, rogando, et per necesſitudines atqve per officium regis, perqve legem humanitatis avum obteſtando, idoneam ſervandae

veteres Graecorum Romanae ditionis in Oriente Imperator Manuel Palaeologus, Cyro libenter ac merito vindicavit, *Orat. I. pag. 140. collat. orat. II. p. 185. edit. Leunclav.* Sed utcunqve magnanimitas Cyri ex multis et illuſtribus ipſius factis elucet, tamen ira et odio adverſus avum legitime regnantem incenſus, novasqve deinde res molitus, non modo manſvetudinis, ſed etiam magnanimitatis laudem amiſit. Glorioſum eſt pati, qvod iuſte vindicare neqveas, et malum eſt ulciſci, qvod aeqvo animo ferre debeas, atqve, ut *Seneca* pronunciat, *miſerius eſt nocere, qvam laedi, epiſt. XCV.* Neqve eo ſecius fallax et inane argumentum eſt, qvod ſuppeditat αὐτονομίας ἔρως, qvodqve multi populi ita ſibi propoſuerunt, ut male ſecum actum exiſtimarent, niſi pro libertate omnia experirentur, *vid. Dion Pruſaeenſis Orat. LXXIX.* At nomen libertatis ſaepe cum iniuria coniunctum eſt, et ſeditionibus praetexitur, ſiqvando id agitur, ut hac iuris ſpecie obligatio parendi tollatur, qvod evenire ſolet, qvum honeſta ratio abeſt, et iuſta defenſionis cauſa removetur. Nec, ſi Perſae regebantur ab Aſtyage durius, ideo ſtatim tyrannide opprimebantur, *qvandoqvidem non una et eadem ratio eſt* μοναρχȣμένων et τυραννȣμένων, *ſiqvidem ſtrictiori ſignificato ab ſe diſcernuntur. Qvinimo* βιαζόμενος ἄρχων *tolerandus eſt, qvoniam conſtituto imperio, ius parendi ſtatim acqvirit imperans, praeſertim in dominatu, qvalis apud Perſas Medosqve obtinebat. Ariſtoteles affirmat, regna herilia per ſe non eſſe iniuſta, et congruere Aſianorum praecipue ingeniis, atqve a maioribus transmitti legitime ad ſucceſſores, polit. lib. III. c. 10. collat. lib. 1. c. 3. Auguſtinus herilium imperiorum iuſtitiam et utilitatem probat, et ſervitutis initia cauſasqve ex recondita philoſophia ediſſerit et confirmat, lib. XIIX. cap. 2. et lib. XIX. lap. 15. de C. D. Congruitqve hoc veteris et recte ſentientis Eccleſiae moribus, atqve intelligitur ex reſponſo Dionyſii Alexandrini,* τὸν ἕνα θεὸν τὴν βασιλείαν

 ἐγχει-

ἐγχειρήσαντα aſſeverantis, atqve eam ob cauſam Imperatores Valerianum et Gallienum θεοφιλεστάτους appellantis, in fragmento apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. VII. c. 11. Vtiqve autem hi ambo a cultu et diſciplina Chriſtianorum alieni erant, et inſigni tamen atqve ad morem ſeculi pertinente elogio ornabantur, atqve adeo propter ſummam poteſtatem a Deo traditam ſacratiſſimi *dicebantur. Qvod non modo ad bonos et malos, ſed etiam pari iure ad Chriſtianos, et non Chriſtianos reges ſpectat, vid. Auguſt. de C.D. lib. IV. c. 33. Atqve haec opinio etiam homines a diviniore coetu ſegregatos imbuit, eamqve in rem M. Terentius Eqves Romanus dixit, Tiberio ſummum rerum iudicium Deos dediſſe, Annal. VI. 8. 5. Vnde ſeqvitur, qvod apud eundem Marcellus pronunciat, bonos Imperatores voto expetendos, qvalescunqve tolerandos, Hiſtor. IV. 9. 3. Niſi tamen regna ſub ſpeciali pacto conceſſa collataqve ſunt, qvae aliorſum ſpectant, et diverſa ratione continentur.* Poſtremo nomen *uncti* magnae qvidem dignitatis et ſingularis exempli, ac divinae etiam autoritatis eſſe ſcio et fateor, res autem per ſe manifeſta eſt, id non dirigi ad ſigni, ficandam belli cum Aſtyage geſti iuſtitiam, ſed duntaxat ad Hebraeorum populum Cyri beneficio ex ſervitute Babylonica vindicandum adhiberi. Nam qvi Dei loqventis ſententiam reddit Eſaias, vix ab *uncto*, id eſt, conſecrato excitoqve et deſtinato ad agendas has partes Cyro exorſus fuerat, qvum ſtatim ad eundem ſubita atqve directa oratione converſus, inſigni et ſignificante dicendi figura, qvam *Rhetores apoſtrophen* nominant, coeleſte, atqve ad liberandum Cyro auctore populum pertinens oraculum interpretatur. *Vid. divinioris huius vaticinii caput XLV. 1. et 2. 5. collat. Nec deſunt exempla aliorum, uncti nomine pasſim in ſacro codice appellatorum, inter qvos praeter Cyrum memorandi veniunt Nehemias, Artachſaſta, ſive noſtra ſententia Artaxerxes Mnemon, Zerobabel, et Pontifex ſummus, et pleriqve tales a Deo delecti proceres, qvi munus dignitatem-*

tatemqve hoc nomine denotatam non aliter, atqve meri homines in terris habuerunt pariter et adminiſtrarunt. Igitur a parte huius argumenti, atqve ab hoc inſtituto abhorret interpretatio uncti *ἐξαιρέτως dicti, cuius actiones teſtantur prorſus divinam vim, et naturales humanasqve vires excedunt ac ſuperant, neqve caduca potentia nituntur, neqve ad praemium fragile et periturum, ſed ad libertatis aeternae per Chriſtum recuperatae beneficium ſpectant. Itaqve coarguendi ſunt Hebraeorum Magiſtri, qvi alibi et in ſede propria ac domeſtica vaticiniorum de uncto editorum, protenus Cyrum, vel qvemvis alium regem et ducem, merumqve adeo hominem interpretantur. At Cyri illa conſtitutio, qvae in favorem Iudaeorum promulgata eſt, extat II. paralip. XXXVI. 22. 23. Ibidem qvoqve omnia regna orbis terrarum ab ipſomet Deo dicuntur Cyro eſſe tradita, qvod ſenſu permittendi, dirigendi ac puniendi intelligendum eſt, qvatenus de modo acqvirendi regna agitur, qvem ut iuſtum fuiſſe dicam, omnino a me impetrare non poſſum. Etenim Deus regnorum conditor atqve arbiter ut multa fieri, ita etiam imperia transferri contra regulas humani iuris, interdum patitur, regesqve ſaepe in ſcelera prolapſos per reges alios ulciſcitur ac evertit. Ipſa tamen ulciſcendi ratio iniuſta eſt, Deoqve diſplicet, et crudelitate non vacat. Idcirco omnia ea, qvae de Cyri pietate traduntur, ſine dubio vel ab elogio* uncti *Cyro regi attributo, vel ab eius propenſa in Iudaeos voluntate, edictoqve reſtitutionis ipſorum cauſa promulgato ſumpta ſunt, pasſimqve apud Patres et ſcriptores alios leguntur. Et qvamvis non ita pridem aliqvis inter iuſtas belli a Cyro ſuſcepti cauſas* ultionem factae expoſitionis *referre videatur, D. Textor Syn. I. G. cap. XVII. pag. 12. Ea tamen idoneo ac firmo fundamento non fulcitur, qvoniam Cyrus publica et regia auctoritate caruit, ac belli iure agere non potuit, atqve adeo ad cauſam hanc armis diſceptandam per ſe non habilis fuit, nec modo iure nihil repetere potuit, ſed qvoqve morem repetendi fecialem neglexit. Aliter, et haud*

barbara ratione Barbari qvondam cenſuerunt. ἀκήρυκτον πόλεμον ἄγειν ἐπὶ τοὺς μηδὲν ἀδικηκότας, οὔτε ὅσιον, οὔτε ἄλλως εὐπρεπὲς ἀνθρώποις ἐστιν, *apud Graeculum non inelegantem Io. Cinnamum Hiſt. l. II. Multum ergo intereſt inter* ἐμβολὴν καὶ πόλεμον, *conſtat qve ſatis, nec iuſtum nec pium eſſe bellum, qvod ſolius ultionis dominatusqve cauſa paratur, cuiusmodi hoc merito cenſetur, qvod Cyrus ad eripiendum Aſtyagi regnum conflavit, animumqve per ſe incitatum contemptus recordatione magis accendit. Nihil enim indolis excitatae homines perinde graviter ferunt, atqve contemptum, qvi multos ad extrema conſilia impulit, qvod vel Cyri,* διὰ τὸ καταφρονεῖν τὴν ἀρχὴν ἐπιθέντος, *exemplum demonſtrat, apud Ariſtotelem Polit. V. c. 10. Sed id Cyri* πατρῷαν ἀρχὴν *Aſtyagi eripientis factum non excuſat, qvoniam ſi vel maxime Aſtyages non circunſpecte ſatis periculum ex capite contemptus metuendum providit atqve evitavit, non tamen ideo iuſtum Cyri bellum fuit, qvem certe ambitio et ultio ad arma ſtimularunt, cum Aſtyagem ſecurum et ſegnem videret, unde epocha Cyri* ἐλευθερώσαντος *eſt conſtituenda. Conf. Ariſt. cit. loc.*

XIII. Sed qvisnam ille fuerit, qvo regnante Babylon Vrbium caput, et maximi terrarum orbis imperii ſedes a Cyro capta et ſubacta fuerit, nunc in diſceptationem venit, et diſcordibus etiam ſcriptorum ſententiis definitur. Ac iam qvidem res eo redacta erat, ut Cyrus non de libertate, qvam victo Aſtyage, conſecutus eſt, ſed de totius Aſiae dominatione certaret, atqve ad perficiendas huius conſilii rationes terrorem pariter et vires longe maximas afferret. Igitur tertium belli fortunam experiri auſus, Babylonem verſus movet, et occupata urbe, Nabonidum, qvem Darium Medum nominant, dedere ſe coactum regno Babyloniae exuit, atqve eo in Carmaniam dimiſſo, vaſtum Aſiae imperium plene auſpicatur. Qvae ſententia auctores graves ac pervetuſtos habet, praecipue eos, qvos in rebus Babylonicis diligenter verſatos, eſſe,

eſſe conſtat, qvorumqve non multa, ſed vera et certa, in qvantum huc ſpectant, monumenta apud Beroſum atqve Megaſthenem inveniuntur. Haec talia qvidem fide atqve diligentia Ioſephi et Euſebii aſſervata ſunt, qvibus libens aſſentior, niſi qvod Ioſephus eorum interpretando ſententiam, longius deflexit, perſvaſusqve eſt, Darium Medum non eum, qvem diximus Nabonidum, ſed filium Aſtyagis et Nabonidi ſucceſſorem, nec Cyri Babylonem occupantis hoſtem, ſed ſocium fuiſſe, *antiq. Iudaic. X. 12.* Itaqve ſi huius auctoritati ſtandum eſt, non poſſumus inficiari, Darium Medum fuiſſe Cyaxaren, et dato etiam hoc, ratio prompta erit concedendi utrorumqve amicitiam ac ſociale bellum. Verba Ioſephi concepta ſunt. Ἐπὶ τοῦτον στρατεύουσι Κῦρός τε ὁ Περσῶν βασιλεὺς, καὶ Δαρεῖος ὁ Μήδων. Et eodem capite aliqvanto poſt haec tradit. Δαρείῳ τῷ καταλύσαντι τὴν Βαβυλωνίαν ἡγεμονίαν μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἑξηκοστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν. Ὃς ἦν Ἀστυάγου υἱός. Qvae etſi apud Beroſum non extant, collegiſſe tamen inde Ioſephus videri voluit, qvo fit, ut ſcriptori per ſe egregio et gravi in hac maxime cauſa nihil deferam. Nusqvam enim ſcripſit Beroſus, Aſtyagem genuiſſe filium, qvippe qvod Herodoto, Cteſiae, Iuſtino, et Sulpitio Severo prorſus adverſatur; nunqvam tradidit, Cyrum rege qvodam ſocio et adiutore Babylonis expugnandae uſum, multo minus affirmavit, Darium Medum veniſſe in laboris victoriaeqve huius partem, qvandoqvidem id Cyri inſtituto non congruebat, ut Aſia duos iam praepotentes reges ferret. Hinc Beroſus memorat, Nabonidum I. ἀπαντήσαντα, Cyro occurrentem: qvod non ſocii et amici, ſed hoſtis erat. II. ἡσσηθέντα, acie victum: III. φυγόντα, fuga ſe proripientem. IV. ἐγχειρίσαντα αὑτὸν, victum Nabonidum ſe dedentem. V. Victorem ἐκπέμψαντα τὸν Ναβόννιδον ἐκ τῆς Βαβυλωνίας, Cyrum Babylone eum dimittentem, et revera regno Babyloniae privantem, *apud Euſebium praeparationis Evangelicae*

licae lib. IX. cap. 40. Sulpicius ſtatim ab occupato Medorum regno tranſiit ad Babylonios, breviterqve dixit. *Babylonii qvoqve in poteſtatem ditionemqve eius (Cyri) conceſſere, hiſt. II. 10.* Iuſtinus eqvidem non praeteriit Cyri bellum cum Lydis, ſed ordinem temporum bellorumqve invertit, et Babylonios ante Lydos ad obſeqvium redactos eſſe prodidit, idqve ex Trogo Pompeio haud dubie deſumpſit: *Cyrus qvoqve poſt victoriam, compoſitis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam, hiſt. I. 7. 4. Qvod in expedito eſt corrigere ex primo Herodoti, et Xenophontis Cyrip. ſeptimo libris.* Illud vero non ſpernendae dubitationis eſt, qvod a Megaſthene accepit Abydenus, qvi ad confirmandam adverſae partis ſententiam haud obſcure qvaedam conſignavit. Vix enim ab oraculo Nabuchodonoſori exorſus erat, qvum eius fide, cuius auctor ipſi fuit Megaſthenes, ſcripſit ſeqventia. Ἥξει Πέρσης ἡμίονος, τοῖσιν ἡμετέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμάχοισιν, ἐπάξει δὲ δουλοσύνην, οὗ δὴ συναίτιος ἔσται Μήδης, τὸ Ἀσσύριον αὔχημα, *apud Euſebium eiusdem libri cap. 41.* ἡμίονος, *inqvit.* Dio Chryſoſtomus ὀρέα dixit, *Orat. LXIV.* Cauſam occaſionemqve nomini ab oraculo Delphico datam, videre eſt apud *Herodotum I. 55.* Magnopere miror, ſummos et Graece doctiſſimos Chronologiae duumviros *Ioſephum Scaligerum, et Dionyſium Petavium* huc non advertiſſe animos, neqve de componenda hac re, et concilianda huius loci lectione cogitaſſe. Nam vulgaris interpretatio plane diſcrepat ab ingenio et uſu Graeci ſermonis, propterea qvod verborum, qvae ex Abydeno attuli, non alius poteſt eſſe ſenſus, qvam qvi ſocietatis et auxilii ratione continetur. *Franciſcus Vigerus,* etſi Graecarum literarum pertiſſimus, nihil mutandum corrigendumve eſſe cenſuit, qvando ſic vertit: *atqve huius cladis auctor etiam Medus qvidam erit.* Perperam proinde verto. *Cuius etiam calamitatis adiutor erit Medus.* Luculenta eſt vaticinii ſignificatio, qvae ſpectat ad modum, qvi futurus ſit adiutor et

ſocius

ſocius belli Babyloniis inferendi. Igitur ſi locus ille ad probandum aſſumi debet, αἴτιος legendum eſt, qvo pacto ſenſus bene habet, ac denotatur is, qvi futurus ſit in culpa illius calamitatis, qvam oraculum Nabuchodonoſori praenunciavit. De Ioſephi diſſenſu exiſtimo, eum obtendi non poſſe, praeſertim, qvum incerta et domeſtica Hebraeorum placita amplectitur, ut hic apparet. Recte in hanc rem ſcripſit et iudicavit Hugo Grotius. *Ioſepho magna fides haberi debet in rebus Herodis magni, ac deinceps. Item ubi externos auctores, non ubi Iudaeos, multa in hiſtoriis contra verum ſomniantes ſeqvitur, not. in Daniel. V. 31.* Georgius Syncellus tradit, Nabennidum imperaſſe Medis et Perſis, ac modo Darium Medum, modo Aſtyagen appellat, atqve adeo Cyri avum vocat, *Chronograph. pag. 231.* Exinde Ioannes Marſhamus arripuit occaſionem diſtingvendi reges Aſtyagis nomine inſignitos, ita ut alter eorum Herodoteus, alter Xenophonteus nominari poſſit, et prior duntaxat a Cteſia, Aſtyagis et Cyri propinqvitatem negante, intelligatur, poſterior autem Syncello congruat, ac plane alius ſit, et Cyri avus dici mereatur, *in canon. Chron. Sec. XIIX. pag. 605. et 620. edit.* Lipſiens. Qvos duos ac diverſos Aſtyages argute excogitavit Marſhamus, et propter futilem hanc Syncelli narrationem verae ac veteri hiſtoriae audacter contradixit, qvi meminiſſe debuit, in ea ad factum pertinente re iudicio aliqvid, ingenio nihil eſſe indulgendum. Vnus enim idemqve eſt, Aſtyages apud Herodotum et Xenophontem, etſi inſtituto ſcribendi utriqve ab ſe disſident, et in contraria nituntur. *Iacobus Goar,* qvi et recenſuit et emendavit Syncellum, fatetur qvidem, *Aſtyagen affinium nominibus in ſe translatis varie fuiſſe vocatum,* ac deinceps refert auctoris Chronici Alexandrini ex aliorum mente prolatam ſententiam, ſed directe non probat, nec defendit, cuius menda alioqvi non praetermiſit, *et paralogismos* etiam ſaepe notavit at-

qve caſtigavit, *annot. in Syncell. p. 63.* Caute enim et conſulto ſcripſit, qvisqvis fuit ille auctor, Τινές φασι τὸν Δαρεῖον καὶ Ἀςυάγην ἐπικεκλῆσθαι. Id demum refellere ſupervacuum eſt, qvod Iacobus Vſſerius affirmavit, Cyrum occupata Babylone, Dario Medo Chaldaeorum imperium tradidiſſe, et Cyaxarem (intellige iuniorem) alio nomine appellatum fuiſſe, *annal. aet. mund. VI. p. 82. Ex eo Georgius Hornius annot. in Sulp. Severi hiſt. II. cap 10. Et nuper admodum Cl. Ioh. Chriſtophorus VVagenſeilius* Darium Medum pro Cyaxare Aſtyagis filio habuit, *in mantiſſa de* LXX. *Hebdomadibus Danielis pag. 40.* Id qvod cum auctoritatibus ſcriptorum antiqviſſimorum, tum rationibus ex re ductis victi approbare non poſſumus, atqve adeo ingenue diſſentimus. Noſtrae autem ſententiae applaudit *Ioh. Baptiſta Ricciolius*, et Scaligeri Petaviiqve veſtigiis diligenter inſiſtit, et tradita ab his retinet ac fideliter reddit, *Chronologiae reformatae tom. 1. cap. 5.*

XIV. Iam Cyrus praeter vectigales ſubiectosqve ſibi populos, et ſigillatim Aeoles, Iones, et Dores, Graecosqve in Aſia ſitos, *de qvibus in qvinto decimo Strabonis libro legitur*, Medos qvoqve et Perſas, Aſſyriosqve pariter et Chaldaeos, et totam fere Aſiam in poteſtate ſua habuit, qvum novam ampliſſimi imperii ſedem Babylone collocavit. Nam ab hac urbe vaſta Orientis *Monarchia* nomen ſpiritumqve duxit, et ea nunc belli victoriaeqve Perſarum magnum et inſigne praemium fuit. Vnde operae pretium erit exponere Curtium, qvi non Babylonem, ſed *Perſepolin caput regionis* dixit *V. 4. 33.* Nihil eqvidem hic annotant docti interpretes, et lectio per ſe proba nullo remedio indiget, ſed nihilominus ratio temporum et incrementi Perſarum imperii nunc ineunda eſt, ut intelligatur, Cyrum diverſas habuiſſe regias, qvarum in regno Perſidis fuit ea, qvam Curtius modo denotavit. Et diu ante hunc ſcripſit Strabo. τὴν δὲ ἡ περσαίπολις ἔχουσα βασίλεια ἐκπρεπῆ, καὶ μάλιςα τῇ πολυτελείᾳ τῶν τεμένων, *Geograph.* XV. Deinde regum

gum Perſiae domicilium Suſis extitit, qvorſum id Cyrus tranſtulit, poſtqvam ſubactis Medis, e re publica eſſe duxit, ut regia in interiora regni promoveretur, qvod eodem libro iam ante indicavit Strabo. *οἱ γὰρ Πέρσαι κρατήσαντες μήδων, καὶ ὁ Κῦρος, ὁρῶντες τὴν οἰκεῖαν γῆν ἐπ᾽ ἐσχάτοις πȣ τατ]ομένην, τὴν δὲ Σȣσίδα ἐνδοτέρω καὶ πλησιαιτέραν τῇ Βαβυλωνίᾳ ἐν τοῖς ἄλλοις ἔθνεσιν, ἐνταῦθα ἔθεντο τὸ τῆς ἡγεμονίας βασίλειον.* Idem magnopere confirmat Herodotus, et loqvens de Suſis tradit: *ἔνθα βασιλεύς τε μέγας δίαιταν ποιέεται, καὶ τῶν χρημάτων οἱ θησαυροὶ ἐνθαῦτά εἰσι. in Terpſicbore V. 49.* In media aeſtate ſedem domiciliumqve praebuit Gaza Vrbs, hyberno tempore. Ecbatana reges incoluerunt, *V. Strabo Geogr. XI. βασίλειον αὐτοῖς θερινὸν μὲν ἐν πεδίῳ ἱδρυμένον Γάζα.* Et aliqvanto poſt. *Καὶ ἦν τὰ Ἐκβάτανα χειμάδιον τοῖς πέρσαις,* De Paſargadis *Arrianus: Ἔλαβε (Ἀλέξανδρος) καὶ τὰ ἐν Πασαργάδαις χρήματα, ἐν τοῖς Κύρȣ τȣ͂ πρώτȣ θησαυροῖς, de expeditione Alex. III.* Curtius Perſagadas ſcripſit, *V. 6. 10.* Ad ultimum Babylon omnium Cyri regionum, in unius maximi Aſiae imperii nomen ditionemqve redactarum caput ac ſedes omnino princeps fuit. *De cuius origine et primordiis vid. Abydenus apud Euſebium de praep. Evang. lib. IX. c. 41. collat. cap. 14. et 15. nec non apud Syncellum p. 42. 43. 44.* Sed Indos imperio ſuo non ſubiecit, etſi ab eorum finibus proxime abfuit, et usqve ad citeriorem Indi fl. ripam magna cum nominis rerumqve geſtarum fama penetravit. Igitur lepidum eſt, qvod aliqvi Dionis Chryſoſtomi *Orea* de Cyro interpretandum eſſe exiſtimant, ut probent, eum regnaſſe in Indis, ad qvos nunqvam venit, nedum apud eos regnavit. *vid. ſupra §. 12.* Obloqvitur tamen Georgius Syncellus, et Indos a Cyro debellatos narrat. *Κατ᾽ ἰνδῶν. καὶ ἄλλων ἐθνῶν ἑορτάζων ἐπινίκια, Chron. p. 232.* Si populos cis Indum ſitos intelligit, res confecta eſt, qvandoqvidem ad eorum fines Cyrum accesſiſſe largimur. Diſerte prudens accuratusqve ſcriptor Strabo ex Megaſthene memorat, Perſas nunqvam copias duxiſſe in Indiam, ἐκεῖ

(ἐπὶ τὴν ἰνδικὴν) μὴ στρατεῦσαι, ἀλλ᾽ ἐγγὺς ἐλθεῖν μόνον, ἡνίκα Κῦρος ἤλαυνεν ἐπὶ Μασσαγέτας, *Geograph. lib. XV.* Suſpecta ergo et falſa Nearchi narratio eſt de expeditione Cyri Indica, de cuius fide detraxit Megaſthenes, cuius asſenſu digna commemoratio apud Strabonem extat. Id ceteroqvin ex dictis ſeqvitur, ut annos regni Medo Perſici a Cyro occupati ab annis magni Aſiae imperii ab eodem ſuſcepti diſcernamus, qvippe qvos pari aeqvoqve intervallo non eſſe dinumerandos, ratio temporum, et ordo ſeriesqve rerum geſtarum ſatis ſuperqve commonſtrant. Simul et perſpicere iam licet, qvis ſit primus ille Cyri annus, a qvo repetendum eſt ſolenne eius edictum, qvod et liberatis, et civitatis Iudaeorum inſtaurationem attinebat, *apud Syncellum Esrae veſtigia ſeqventem Chron. p. 233.* Annus haud profecto intelligendus venit alius, qvam qvi captae Babylonis tempus inſigniebat, ideo qvod Cyrus ibi non prius mandatum promulgare potuit, qvam regnum Babylonis, in qvo Iudaei ſerviebant, occupaſſet, ſuaeqve ditionis feciſſet, Id qvod devicto Nabonido accidit, cuius clades, nec multo poſt facta deditio primum regni Cyri annum, in ſacro codice memoratum, ſignat, atqve adeo definit *epocham* publici et favorabilis editi huius mandati, qvod tamen aſtu et malitia infenſorum populo ſancto hominum impeditum eſt, qvo minus ad exitum perduceretur. Fuit autem hic annus regni Cyri Medo-Perſici XXI. expletus, qvi in diviniori ſcriptura nominatur regni eius per eminentiam dicti, id eſt, Imperii Babylonici primus. *Chriſtianus Schotanus longe diſcesſit ab his rationibus, et mandatum illud in annum Cyri XXIX. reiecit, hiſt. ſacr. t. 2. in Sulpic. l. 2. cap. 9.* Qvibus rebus fiet, ut dicere neceſſe habeamus, Cyrum XXXVII. annis regnaſſe, qvod pugnat cum omnibus veterum de hac re commentariis, libris atqve monumentis. Pervetuſtus ac indubitatus Ptolemaei canon novem Imperii Babylonici annos Cyro aſcribit, qvos

ſi cum

ſi cum expletis XXI. regni Medo-Perſici annis colligo in ſummam, conficiuntur XXX. anni, qvibus univerſum Cyri regnum continetur. *V. Clemens Alexandrinus ſtrom. lib. I.* Dionyſius Petavius computat annum regni Cyri Medo-Perſici XXII. non integrum expletumqve intelligens, ſed inchoatum, *rationar. temp. part. I. lib. 2. c. 9. Herodotus confectis a me rationibus annum demit. I. 214. Nobiscum facit Cteſias in excerptis Photianis.*

XV. Ex his omnibus elucet Cyri vigilantia et fortitudo, qvam in rebus et conſiliis, ac in togae belliqve negotiis ſumma et ſingulari cum laude demonſtravit. Qvam ob cauſam optimi qviqve et maximi Imperatores eum diligenter et merito ſeqvendum putarunt, ac pleriqve etiam vitae ornamenta pariter et errores cum ipſo communes habueruut. Exempla enim aliqvando iuvant et inſtruunt, interdum nocent atqve impediunt, et plane tranſeunt in imitantium mores. In qvo genere laudem meretur et habet prudentia fraenandae populorum ferociae, qvam Cyrus recte et feliciter uſu probavit, magnasqve regni ſedes vel temere non mutavit, vel, ſi mutaſſet, in regni viſcera propius tranſtulit, vel ſine valido praeſidio nunqvam reliqvit. *V. de Suſis Strabo Geogr: XV. de Babylone Xenophon Cyrip. VII.* Imitatus hoc deinceps eſt Conſtantinus M. ſed non in omnibus prudentiae partibus momentisqve expresſit, neqve eadem agendi dexteritate perfecit, et Rheni Danubiiqve finibus praeſidio nudatis, in Thraciam urbis et ſedis condendae cauſa diceſſit, *apud Zoſimum II. 30. 34.* Multo aliter et maiori circunſpectione Carolus M. novam regni ſedem Aqvisgrani inſtituit, et urbem inter Gallos Germanosqve veluti mediam tenuit, ac potentiam in utroqve limite ſatis opportune firmavit, et Saxonum exinde premendorum rationem pro ſtatu temporum utilem idoneamqve invenit. *Hinc Romam tranſalpinam appellari ſolitam*

novimus, qvam primam Franciae ſedem dixit Nithardus lib. 4. Similiter Hiſpani Madrito Hiſpalin, Stuarti Londino Edimburgum bene ſapienterqve mutarunt. At qvantamcunqve etiam Cyrus operam ſumpſit in adminiſtrandis imperii rebus, tamen educationis fuit negligentior, et filios domi militiaeqve habuit ſibi disſimiles, et non minus familiae, qvam regno conſuluit male. V. *Plato III. de legibus, qvi id ingenue teſtatur.* Haud ſecius Carolo M. evenit, qvi aeternam qvidem fortitudinis famam ſibi conciliavit, filium autem Ludovicum cognomine pium ad artes belli non inſtituit, ſed veluti incluſum ſeptis, otioqve pio deditum a ſcientia et cura negotiorum civilium avertit, *apud Scriptorem veterem anonymum vitae Ludovici.* Non eqvidem ignoro, qvod praeter alios, Theodoretus et Cyrillus de religione Cyri tradiderunt, et probo etiam magnopereqve laudo religionis ſtudium, qvod mentes regnantium coniungit cum Deo, et ſpondet ſolidam huius ac ſempiterni aevi felicitatem. Recte enim Hierocles, qvi Pythagorae mentem et bene aſſecutus, et probe interpretatus eſt, omnes eos, qvotqvot ad opus ſe parant, commonuit, ut votis praecibusqve viam hanc ineant, ac deinceps labore perfungantur. *σπεύδοντας πρὸς τὴν ἐνεργὸν ἀρετὴν, εὔχεσθαι προσήκει, καὶ εὐχομένους τὴν κτῆσιν ταύτης ἐργάζεσθαι, in carm. Pythagorae p. 237. Idemqve innuit Iſocrates in panegyrico, Val. Max. l. 1. cap. 1. et docent exempla, Principes religioſos fere fuiſſe fortunatos.* Sed qvando in ſuperſtitionem degenerat religio, et regum animos ab uſu rerum agendarum atqve imperandi cura ſeiungit, ita ut perſvaſionis vanitate irretiti teneantur, effeminatiqve reddantur, ſane fieri non poteſt, qvin conturbentur omnes vitae fortunaeqve principalis rationes, ac deprimantur generoſae mentes. Qva ex cauſa Theodoſii II. tempora inſigni labe foedata ſunt, qvibus obtentu pietatis ſocordia in animis valuit, et domi foriſqve respublica

publica atqve regentium auctoritas decreverunt. His deinde rebus factum eſt, ut Gothi, Alani, Vandali, Svevi, Burgundiones et Franci, Gepidae, Hunni, Saxonesqve, et aliae praeferoces barbaraeqve gentes, multas ac inſignes Imperii Ro. provincias invaderent et occuparent. *Vid. Zoſimus hiſt. lib. V. VI. et Salvianus de gubern. Dei, lib. V. qvi imperante Theodoſio iuniori ſcripſerunt, et cauſas deminuti Ro. imperii calamitatumqve bellicarum, disſimili inſtituto et diverſa ratione explanarunt.*

XVI. Ceterum magnus Aſiae imperator Cyrus, qvi felicitatis et potentiae modum ſervare potuit, fretus magnitudine opum et proſpera ſuperiorum temporum fortuna elatus, regniqve amplius augendi cupidus, ſpreto meliore conſilio, duxit in Maſſagetas, et novisſimum atqve ſibi exitiale bellum comparavit. Herodotus ſpeciem iuris ſimulacrumqve rei a vera cauſa diſtinxit, et conſilii ſuſcepti incitamentum ac modum, ingeniumqve Cyri avidum et fiducia ſucceſſuum ſibi indulgens, gnaviter depinxit. Primo fontem indicat, unde promanat dominandi cupiditas, cum non qvid iuſtum, ſed qvid utile qvaeſtuoſumqve ſit, expenditur. Summa continetur his verbis. ἔσχε προθυμίην. Mox ſubiungit huius cupiditatis irritamenta, et qvo dominationis igniculi, apprime eleganti enumeratione exponit. πολλὰ καὶ μεγάλα τὰ ἐπαείροντα καὶ ἐποτρύνοντα ἦν. Hae enim ſunt illae ipſae res incitantes atqve inſtigantes, qvibus veluti ſtimulis agitati cupidine regnantium animi inardeſcunt, qvod Artabano uſu veniſſe memorat *Tacitus annal, VI. 32. 2. Vid: Grotius II. 22. de I. B. et P.* Tum ſimulatum petendi connubii negotium aperit, et qvam vafre ea ſcena inſtructa ſit, declarat: ἐμνᾶτο τῷ λόγῳ, θέλων γυναῖκα ἣν ἔχειν. Dici haec et credi volebat Cyrus, ut honeſto matrimonii nomine regnandi libidinem tegeret, reginamqve hoc ſubtili commento ſecuram redderet, falleretqve incau-

cautam. Hinc Tomyris, blanditias Cyri periculoſas intelligentis reſponſum ſubiecit. Ἡ δὲ Τόμυρις συνεῖσα, ὐκ αὐτὴν μιν μνώμενον, ἀλλὰ τὴν Μασσαγετέων βασιληΐην. Apte ſatis ac tempeſtive regina hanc fucatam, et ſibi regnoqve pernicioſam Cyri petitionem ab interiori eius conſilio propoſitoqve diſcernit, et corruptelas muliebris delicatiqve moris procul habet, et ſexu magis, qvam animo feminam reddit. Superiori aevo aliqvid huius ſimile Eliſabetha Angliae regina praebuit, et connubium ex cauſa rationeqve civili averſata eſt, qvando ſe peti qvidem a procis, ſed regnum deſtinari exiſtimabat, *de qva vid. Gvil. Camdenus, et Everardus Reidanus, ſciti prudentesqve ſcriptores.* Poſtremo Tomyridis ſententiam refert, eventumqve deſignat, atqve belli exinde orti initia, progreſſumqve et exitum perſeqvitur, et ut rem in pauca conferam, belli praetextum a belli cauſis, et momentis rationibusqve in genere morum moventibus diſtingvit. ἀπείπατο τὴν πρόσοδον, ait, *l. 204. 205. 206.* Fuit hoc magnum omnino reginae conſilium, qvod ſtatim cum facto coniunxit, poſtqvam ex ſuperioribus Cyri rebus de ingenio ipſius et moribus, deqve propoſito et cupiditate proferendi imperii iudicavit, ac ſine dubio per aliqva, nec falſa indicia cognovit, eum ſub ſpecie amicitiae dominatum moliri. Nec tamen omiſit Cyrus exaggerare contumeliam atqve contemptum, et ſimulacra adduxit in theatrum, et titulo nomineqve ſpecioſo perſonam hanc egit, qvam Tomyris prudenter detraxit, et non aſcita onamenta pictosqve colores, ſed nativam et fuco vacuam rerum conſiliorumqve hoſtilium originem, et apparatum deinceps atqve continuationem accurate penitusqve inſpexit. Qvamobrem caduceatore miſſo, Cyrum ab aditu finium dehortatur, ſed qvum is nihil minus qvam pacem cogitat, inſtructisqve copiis verſus Araxem fl. tendit, Maſſagetae hoſtem venientem expectant. Dolo rem aggreditur Cyrus, et relictis

ex compoſito militibus recedit, deinde Maſſagetae ſuperveniunt, atqve in hos irruunt, et reſiſtentes obviosqve fundunt, nec multo poſt ſecuri agunt, et ſplendide epulantur. Accepta clade, confeſtim Perſae ex Cyri caſtris dimisſi ultionis cauſa exeunt, et ſolutos negligentesqve Maſſagetas adoriuntur, et aliqvos caedunt, plures, atqve inter hos Spargapiſen, reginae filium capiunt, cuſtodiendumqve curant. Is ſimul atqve exhalavit crapulam, laxatus pauliſper ſolutusqve vinculis, odio taedioqe captivitatis mortem ſibi conſcivit. Qvocirca Tomyris ira doloreqve percita copias eduxit, Cyrumqve diu et fortiter pugnantem oppresſit, ut ſciret poſteritas, maximum et nihil modice cupientem Aſiae Imperatorem, qvi tot tamqve fortes et opulentos reges viciſſet, tandem ab una femina, et obſcuri hactenus nominis regina, et, mirum dictu, ab impari et ſtolato hoſte potuiſſe vinci, adeo ut victus qvoqve miſera pariter et ingloria morte defungeretur. *Vid. Herodotus l. 206. ſeq. 214. Qvod aſſenſu ſuo comprobant Iuſtinus I. 8. 11. ſeq. Val. Maximus IX. 10. Sulpicius Severus II. 13. Oroſius lib. II. 7. Diodorus Siculus adiungit aliam facti περίστασιν, atqve affirmat, reginam Scythararum, victo Perſarum exercitu, Cyrum in praelio captum, cruci affixiſſe, II. 44. Diſſentit Xenophon, et placidum tranqvillumqve e vita exitum habuiſſe, nec in acie occubuiſſe, neqve occiſum fuiſſe, ſed aetate provecta deceſſiſſe putat, Cyripaed. VIII. Strabo auctore Megaſthene memorat expeditionem in Maſſagetas, et qvanqvam de mortis genere nihil tradit ac definit, tamen ſepultum eſſe indicat, et ſepulchri inſcriptionem ex Ariſtobulo et Oneſicrito adducit, Geograph. XV. pariterqve de ſepulchro Cyri tradunt Plutarchus in Alexandro, Curtius X. 1. 30. Arrianus lib. VI. Cteſias refert, Cyrum in bello cum Derbicibus geſto, iaculo ictum, atqve ex vulnere ſaucium viventemqve a familiaribus ſublatum, et in caſtra relatum, ac deinceps mortuum fuiſſe, in eclogis apud Photium. Proinde Xe-*

 nophonti

nophonti non tam veritatem facti, qvam ἐνθανασίας imaginem proponere volenti, haudqvaqvam ſuffragamur, qvippe qvem et aſſenſu ſuo deſtituit Cteſias, et ſaltem violentae mortis indicium prodit. Non enim ſeorſim dicit, ἐτελεύτησε, aut τελευτᾷ, ſed reſpiciens ἀκόντιον, ſive telum, qvo verberatus vulneratusqve erat, ἐξ ȣ̃ τελευτᾷ, ait. Similiter Philoſtratus in heroicis noſtram ſententiam amplectitur. Iohannes Antiochenus qvoqve teſtis eſt, in praelio navali occubuiſſe, atqve adeo omnes priſci ac fide digni ſcriptores, excepto Xenophonte, in parte mortis violentae conveniunt, etſi in ſpeciali ac definita aliqvot circunſtantiarum deſignatione differunt atqve diſcordant.

XVII. Vtcunqve autem de Cyri exitu ſentiamus, reliqvae tamen eius laudes obterendae non ſunt, neqve unius facti intempeſtiva ambitione praecipitati temeritas ſic coargui debet, ut ſimul omnes ipſius ſuperiores dotes, et prudentiae fortitudinisqve monumenta deleantur. Vnum alterumqve horum ſeligam, et Cyrum Ottonemqve magnos inter ſe contendam, qvorum uterqve armorum auſpicio ad ſumma pervenit: ille Aſiae, hic Romanorum imperium armis obtinuit. De Cyro teſtatur inſcriptio ſepulchralis. ΕΓΩ ΚΥΡΟΣ ΕΙΜΙ Ο ΠΕΡΣΑΙΣ ΚΤΗΣΑΜΕΝΟΣ ΤΗΝ ΑΡΧΗΝ, *apud Plutarch. in Alex. p. 703. et apud Arrianum: ἐγὼ Κῦρός εἰμι ὁ Καμβύσȣ, ὁ τὴν ἀρχὴν Πέρσαις καταστησάμενος, lib. VI. de exp. Alex.* Ottonis Magni ius, qvatenus ſupremum Romae dominium per ſe attinet, non ſucceſſione, ſed bello, non tranſactione, ſed occupatione partum eſt, atqve adeo derivata acqvirendi ratio eo non ſpectat, nec qvicqvam Ottoni M. vel ſucceſſione transmiſſum ac traditum, vel pactione conceſſum comparatumqve eſt, qvoniam victo captoqve Berengario II. dominium eius extinxit ac ſuſtulit, atqve ab eo nihil ad ſe transferre potuit, cuius omne ius iam ante prorſus intercidit defiitqve. Ratio acqvirendi igitur occupatione ſtetit, et inſecuta cum SPQ pactio non fuit neceſſitatis, atqve in iudicio genti-

um

um praetermitti potuit, niſi ex capite prudentiae Ottoni aliter viſum fuiſſet. Graeci qvidem occupationem deſcribunt interdum per *μεταφέρειν*, qvod transferendi notionem habet. Sic Strabo de Cyro ſcribens, *τὴν ἀρχὴν τῆς Ἀσίας μετήνεγκεν εἰς ἑαυτόν, Geogr. XV.* At id non eo ſpectat, ut ab Aſtyage aliqvid accepiſſe Cyrum innuat, propterea qvod Aſtyagis ius extinctum erat, Cyrusqve ſolo belli titulo nitebatur, qvod adeo verum eſt, ut dixerit *apud Xenophontem, τὰ τῶν ἡττωμένων ἀγαθὰ τῶν κρατέντων γίγνεσθαι, qvae eſt ipſiſſima originaria acqviſitio apud Grotium I.* B. *et P.* II. *XIX. 1. De Ottone M. qvi Berengarium vicit, exilioqve multavit, vid. VVitickind. Corbei. lib.* III. *inprimis Luithprandus hiſt. lib.* VI. *cap. 6. et inter recentiores Carolus Sigonius de regno* Italiae. *lib.* VI. *fin. et lib.* VII. *init.*

XIIX. Praeterea Cyrus, anteqvam e vita decederet, imperium filio natu maximo reliqvit, ſucceſſionemqve firmavit, et, cur id faceret, idoneam rationem attulit, primoqve geniti ius ſuo et gentium humanius viventium conſenſu approbavit. Proinde imperium ab uno et natu maximo regi voluit, atqve adeo Cambyſem allocutus eſt, et ſucceſſorem appellavit. Non qvod Cambyſi magis favebat, ſed qvia rationi et Perſarum moribus conveniebat, ut regnum attribueretur *τῷ προτέρῳ γενομένῳ, καὶ πλειόνων κατὰ τὸ εἰκὸς ἐμπείρῳ, apud Xenophontem* VIII. Simili conſilio prudentiaqve Otto M. filium in regni Teutonici, ac deinceps imperii Romanorum ſocietatem aſcivit, ut respublica in ſucceſſore certo inſiſteret, ſineqve cauſa et prolapſione ſtaret et ſtabiliretur. *Vid. VVitichindus annal.* III. *Detmarus Merſeburgenſis lib.* II. Ius enim qvod Otto M. Ludolpho natu maiori dederat, teſtamentoqve aſſignarat, cum morte eius expiravit: ne dicam, ob turbas, qvas Patri concitaverat, privari potuiſſe ſucceſſione, niſi facilem nimis ſe dediſſet Otto Pater, proniorqve ad ignoſcen-

ſcendum fuiſſet, *apud VVitichindum d. l.* Itaqve felicitate non aeqvavit modo, ſed etiam ſuperavit Octavium Auguſtum, cuius familiam orbitas finivit, Claudiamqve evexit, *Tacit. Annal.* I. *3. 4. 5. 6.* Melius cum Cyro actum eſt, qvi et filios ſibi obſeqventes habuit, et ſeditionibus ſpem occaſionemqve praecidit, et in hoc genere tam ſeverus ſedulusqve fuit, ut ſomniorum qvoqve rationem duceret, et Hyſtaſpi ea de cauſa mandaret curam cuſtodiamqve Darii filii, qvem per qvietem viderat, *humeris ſuſtinentem duas alas, qvarum altera Europam obumbraret, apud Herodotum* I. *210.* Omnino autem hic prudentiae eſt perſpicere, utrum ſuſpicio iuſta, ratio probabilis, indicia apta et idonea ſint? Vtrum deinde ſeveritas, an clementia expediat? Id qvod recte cum animo cogitavit auctor *epitaphii Mommorenciani*, hac ſententia inſigniti. *Aliud ſeculum ignoſcendo ipſi qvaeſiviſſet gloriam, noſtrum puniendo qvaeſivit. Supplicium A. M DCXXXII. Toloſae de Henrico Mommorencio ſumptum indicat, et ſeveritatis invidiam necesſitate temporum condonari cupit, nec non Richelii poena ſemper, nunqvam poenitentia contenti, aevum ſignat, conf. Beni. Priolus de reb. Gall. lib.* I. *cap. 6.* Sane imperantibus utile eſt, imitari medicos, et nunc aperire vulnus, ut expurgetur, nunc obligare, ut ſanetur. Saepe etiam, *qvae caſus offert, in ſapientiam vertenda ſunt, apud Tacitum Annal.* I. *28. 5.* Vſu venit hoc Iuliano Rovereo, qvi vafra Caeſaris Borgiae conſilia in auctorem convertit, et ſubito improviſoqve caſu datam infringendae eius potentiae occaſionem arripuit, redditaqve Italiae ſecuritate, exitii Borgiani cauſas feſtinavit, cum ab eo, ſi recuperaret vires, atrociora metuerentur: *Antonius Maria Gratianus in Roderico et Caeſare Borgiis.* Vtqve Cyrus agendo et audendo Perſas antea obſcuros produxit in lucem, et ereptos e ſervitute magnopere nobilitavit et auxit, nec in otio, ſed in armis eſſe voluit, Proceresqve gentis comiter invitavit

vitavit multumqve provexit, ut in patris imagine regiam ſeveritatem intuerentur: *Ex reſponſo Hyſtaſpis ad Cyrum*, I. *210.* ἀντὶ δούλων, ἐποίησας ἐλευθέρους Πέρσας εἶναι. ἀντὶ δὲ ἄρχεσθαι ὑπ᾽ ἄλλων, ἄρχειν ἁπάντων. *Et Xenophon lib. IIX.* τοὺς ὑφ᾽ ἑαυτῷ ὥσπερ ἑαυτοῦ παῖδας ἐτίμα καὶ ἐθεράπευεν, οἵ τε ἀρχόμενοι Κῦρον ὡς πατέρα ἐσέβοντο. *Conf. Strabo XV. Ac ſine dubitatione intendit eo animum Dionyſius periegetes, qvum dixit de Perſis.* τ᾽ Ἀσίης βασιλεύτατον ἔθνος ἔχουσι, *V.* Περιήγησις *1056. Ibidem Euſtathius ſcholiaſtes, ubi multa egregia de ritu diſciplinaqve Perſarum traduntur. Ex Patribus Auguſtinus lib.* IV. *c. 7. de* C. *D. reſpexit locum Herodoti* I. *126.* Eadem imperandi ratio ab Ottone Magno inita eſt, qvi manu et conſiliis res maximas confecit, Germaniamqve in ſummum potentiae faſtigium perduxit, et, ut Babylonem Cyrus, ita Romam victor Otto intravit, hoſtesqve repreſſit, et bella domeſtica ignoſcendo tranſegit, aureumqve ſeculum reparavit, *V. Frodoardus Chron. ad A. 962. VViticbindus lib. 2. et 3. Ditmarus Chron. Merſeb. lib.* II. Perinde ut Cyrus Perſiam, ita Otto Saxoniam evexit ac nobilitavit, et ſiqvando a bello qvies erat, non omiſit certamina et ludos eqveſtres, ut vigorem afferret animis, qvos otium deprimit langventesqve reddit. Robur deinde et decus militiae in Germanis, praeſertim in Saxonibus fuit, nec gentes nationesqve diverſas ſub ſignis habuit, nec barbaros ad militiae ſocietatem accivit, moremqve Cyri ſecutus eſt, qvi Perſarum auxilio praecipue nitebatur, eosqve ornabat et magnopere diligebat, Perſarumqve Proceres diligenter honorabat. Adiutores caute accipiebat, et circunſpecte utebatur, ac deinde obnoxios ſibi reddebat, armatusqve ſemper pacta et leges cuſtodiebat, ſeveritatemqve comitate temperabat, *ut ex Xenophontis Cyripaedia conſtat.* Revera tamen eius imperium exqviſito dominatu fulciebatur, et ſatrapae in eo ſervi erant, populusqve regi addictius parebat. Neqve

iam eſt obſcura ratio, qvamobrem *Graeci Perſarum Satrapas* *δούλους* appellaverint, qvippe qvos a regibus etiam miſere mulctatos eſſe accepimus, cuius exemplum in Siſamne eſt. *V. Herodotus V. 25.* Contra apud Germanos nullum ſervile obſeqvium deprehendimus, nec Perſarum indoles Germanorum ingeniis congruit, neqve horum Principes cum Satrapis illorum paria faciunt, neqve ſola *Magiſtratuum* dignitate continentur. Altius ſublimiusqve ius eſt, qvod non ab uno et altero ſeculo, ſed ab incunabulis regni Teutonici arceſſendum eſt: neqve id non conſtat, qvum ultima Francorum tempora reſpicimus, qvibus Saxonum proceres non meri ſane magiſtratus, ſed *regionis potentes* dicebantur, erantqve adeo ſuorum diſtrictuum reguli, et ſalva etiam libertate, et data acceptaqve fide cum Francis coaleſcebant. Poſtea Franci omne ius, qvod cum in regno orientali, tum in Romanorum imperio habuerunt, prorſus atqve omnino amiſerunt, Saxonesqve deinceps Auguſtum Ro. Imperium, iam inde ab Arnulphi tempore a Romanis repetitum, diuqve a Langobardiae Principibus ſine Francorum contradictione poſſesſum, atqve a Caroli M. poſteris deperditum et derelictum, idqve non Francis, ſed Langobardis ereptum, atqve adeo non qva ſucceſſores Francorum, nec iure ab his devoluto, ſed qva primi bello acqvirentes, auſpicio et ductu Ottonis M. obtinuerunt, perpetuoqve et aeterno iure ad Germanos detulerunt. Igitur *ex capite Caroli M.* nullum ius ſumi poteſt, qvod eiusmodi ſit, ut vel in regno Germanorum ſucceſſionem tribuat, ſive de Caroli Calvi vetere et dudum extincta, ſive de nova et Capetina propagine diſqviramus. Commenta ingenii, narrationes *Auberii*, et vanos inanesqve acceſſionum dependentium titulos, ad turbandam gentium qvietem repertos nuper ſpecioſeqve adornatos, refelli hic non attinet, qvi tam iniuſte, qvam ambitioſe iactantur, pacemqve

et

et concordiam humani generis turbant et tollunt, liteſqve aeternas ſerunt, et bella perpetua alunt; iuraqve uſucapionum firmiſſima convellunt penitus, et certa atqve conſtituta populorum nationumqve dominia confundunt, fineſqve ſocietatum et imperiorum transgrediuntur et violant, hominumqve adeo inter homines vincula rumpunt atqve perfringunt. E contrario ſcribit et ſentit Iſocrates, et *uſucapionis ac praeſcriptionis vim effectumqve* ratione, et iudicio moratiorum gentium comprobat, atqve confirmat, *in oratione, qvae inſcribitur Archidamus. Conſentiunt populorum humanius viventium ſcriptores, Graeci Latiniqve omnes.* Cyrus eqvidem alia, ſed non meliore belli inferendi ratione utebatur, nec iuſtitia, ſed ambitione et imperandi cupiditate imperium metiebatur, *ut ſupra ex Herodoto confectum eſt, I. 204. Proinde in Cyrum expetunt, qvae de regnis ſine iuſtitia partis leguntur apud Auguſtinum de Civ. lib. 4. c. 4.*

XIX. Tum vero perplura alia ſunt, in qvibus magni hi imperatores inter ſe congruunt recteqve comparantur. Nam praeterqvam qvod Cyrus qvaedam vi, multa conſilio perfecit, rerumqve initia ad ceteram fortunam valida eſſe cenſuit, principiumqve agendi a ſacro Magorum duxit, curſus qvoqve publicos ſapienter inſtituit, omniaqve diligenter proſpexit et exploravit, inſidiasqve et ſeditiones evitavit, imperiumqve diffuſum praeſidiis militum et militari diſciplina continuit, armorumqve uſum non intermiſit, belliſqve partim erudivit percoluitqve Aſiam, atqve honorem faſtigio ſuo dignum, et ſolennem maximumqve ſplendorem, ſuſtinendae opinionis et auctoritatis cauſa, prudenter ſervavit, neqve unqvam, ne moriturus qvidem, neglexit hanc curam, vireſqve non fregit, nec rerum nervos incidit, ſed qvale fecit imperium, tale nec diviſum Cambyſi reliqvit, neqve, eo vivente, ulla diſſidia et aemulationes exortae ſunt, ſed deinceps

poſt

poſt deceſſum ipſius eruperunt, et Cambyſis Smerdisqve animos in contrarias partes diſtraxerunt. Qvae res qvidem Smerdi exitium attulit, praeſertim qvum Cambyſes ſomnio deceptus verebatur, ne regnum ſibi a fratre praeriperetur. Vid. Xenophon, ἐπεὶ μέν τοι Κῦρος ἐτελεύτησεν, εὐθὺς μὲν αὐτοὶ οἱ παῖδες ἐστασίαζον, *Cyrip. IIX. Hinc ſecuta Smerdis caedes eſt, qvam deſcribit Herodotus III. 30. Ceterum de ſacris a Cyro diligentisſime cultis, Magisqve ab eo ad rem divinam faciendam delectis vid. Xenophon lib.* IIX. *p. 204. collat. lib.* III. *Strabo Geogr. lib. XV. Perſarum ſacra Medi et Armenii ſeqvuntur et colunt, idem lib. XI. Etiam teſtatur Dio Chryſoſtomus, Magos Dei ſcientiam cultumqve docuiſſe, Orat. XXXVI. Perſae autem ſacra Aegyptiis abſtulerunt, qvae poſtea recepit Ptolemaeus Evergetes, ut legitur in monumento Adulitano, qvod Leo Allatius edidit. Omnino hic denotatur Cambyſes, qvi primus Aegyptum infeſtavit, et in provinciam redegit, Herod.* III. *7. Cyrus enim, ut non in Indiam, ita neqve in Aegyptum movit et penetravit. Tum Cyri prudentiam et ſolicitudinem praecipue commendat, qvod primus in Perſide inſtituit veredarios, et ordinavit curſus publicos, ut, qvid in tam vaſto regno pasſim ageretur, tempeſtive ſciret, Xenophon d. l.* IIX. *Igitur non eſt, cur id reprehendat Dion Chryſoſtomus, qvi tradit, Perſam in omnes regni terras emiſiſſe homines, qvi audirent omnia, qvae fierent, ac deinde ad regem referrent, in orat* LVII. *Mea ſententia nomine Perſae Cyrum deſignavit, qvandoqvidem ante eum non eſt mentio veredariorum iuſſu mandatoqve regio in Perſia adhibitorum. A veredis diſtincti ſunt paraveredi, de qvibus multis poſt ſeculis promulgatae Imperatorum, nominatim Conſtantini M. conſtitutiones extant, qvae, ſi rationes ex faſtis Conſulum inimus, ſignant A.Ch.* CCCXVI. *et* CCCXXVI. *Diverſus vehiculorum curſus eſt, qvi vocabulis ex Perſia ductis Angariarum et Parangariarum dicitur, de qvibus vid. C. Theod.*

Theod. et Baſilica, ac ibi Iacobus Gothofredi, hic Carolus Annibal Fabrotus: conf. Iob. Scheſſerus de re vehiculari Veterum, ubi velut in tranſitu obſervamus, eum a mente Euſtathii Dionyſium interpretantis multum recesſiſſe, intelligit enim Scholiaſtes Libyos, non Poenos, qvum de origine qvadrigarum tradit. Nam ita ait. Δοκεῖ δὲ καὶ ἡ τοῦ τετρώρου χρῆσις ἐκεῖθεν εὑρεθῆναι. *Dicit* ἐκεῖθεν, *id eſt,* ἐν τῇ Λιβύῃ *ſtatimqve ſubiicit.* Φησὶν οὖν Ἡρόδοτος, ὅτι τέσσαρας ἵππους ζευγνῦναι παρὰ Λιβύων Ἕλληνες ἔμαθον. *Itaqve tam Euſtathius, qvam Herodotus Libyos expresſit: notumqve eſt, Libyae vocabulum nunc de tota Africa, nunc de inſigniore eius parte dici. V. Euſtathius ibidem, edit. Roberti Stephani Patris, p. 33. Deſtituit ſane virum multo doctisſimum Graecus Codex, dum Graeca non potuiſſe videre fateretur. Interim de Angariis vid. Herodotus IIX. 98. Ioſephus Antiq. Iud. XI. 6. Arrianus in Epictetum III. 26. Heſychius et Svidas in hac voce. Vulgo etiam, ſed perperam exinde arceſſunt in Germania ius Curſorum publicorum, qvod poſtarum nominari ſolet. V. Iuris conſultisſimus Zieglerus noſter erudito opere de Iur. Maieſt. lib. cap. II. 18. Neqve dubitari poteſt, qvin eo bello multi et domiti et mitigati fuerint, qvod ſeqviora Graecorum Romanorumqve bella comprobant, qvippe qvibus magna terrarum orbis pars revocata ad mitioris vitae leges eſt, idqve exemplo ſuo vetus Germania teſtatur, cuius bella qvidem cum Romanis geſta, per ſe dura ſaepe et calamitoſa fuerunt, ſed omnino tamen cum ad capiendum cultum, tum ad exuendam paulatim barbariem permultum attulerunt. Qvanqvam vero Perſae in crimen contempti Numinis vocantur, qvod* templa *regionibus Graecorum dedicata incenderint, ut eſt apud Curtium III. 10. 9. Hinc Arrianus.* τὰ ἱερὰ ἐνέπρησαν, *lib. III. de exp. Alex. Qvam ob cauſam ab Iſocrate impietatis poſtulantur in panegyrico. Sed ratio ſubeſt; propter qvam de Dei regionisqve contemptu purgandi ſunt, qvam apud Herodotum invenimus I. 131. 132. Affirmat*

eos in montibus atqve adeo ſub dio, non in fanis et delubris ſacrificare: tum non habere aras, et qvod inde ſeqvitur, carere templis: praeterea in vitio ponere et dementiam interpretari cultum venerationemqve Numinis, qvae fiat in templis. Hunc morem Perſarum Cicero enarravit lib. II. de legibus, qvas antiqvariorum vulgus ex XII. Tab. LL. *transſcriptas abſurde putat, qvod ex Cicerone ipſo pariter, et ſtyli verborumqve diſſimilitudine ſatis conſtat.* Non *multo ſecus Germani qvondam intra lucos et nemora rem ſacram faciebant, apud Tacitum de mor. German IX.3. 4. Addantur VVitichindus annal. Saxon. I. et, qvi id apertius indicavit, Adamus Bremenſis lib. I. cap. 6. H. E. Memoriae proditur, illum Perſicae gentis ritum ab Artaxerxe inventum invectumqve eſſe, ut auctor eſt Clemens Alexandrinus in protreptico: ubi tradit, Perſas ſacrificare ſub dio,* θύειν ἐν ὑπαίθρῳ, *atqve deinceps Artaxerxi acceptum fert originem uſumqve imaginum in templis divino honore cultarum. Ei ſuffragatur Origines lib. I. coll. 5. et 7. contra Celſum. Sed iam nuper in Aſſyriacis confectum explicatumqve eſt, Beli ſtatuam Babylone fuiſſe poſitam, et ſimul ex Xenophonte recordor, Cyrum adiiſſe fanum, et ſacra feciſſe, Cyrip. IIX. Solennis tamen et receptus ſacrificandi ritus apud Perſas fuit extra templa et delubra, qvod a Xenophonte eodem libro traditum eſt, qvum ait, Perſas conſveviſſe in editis montibus ſacrificare,* θύειν τοῖς θεοῖς ἐπὶ τῶν ἄκρων, *V. lib. IIX. pag. 233. et 216. collat. edit.* Leunclav. *ſpectatqve huc* θύειν ἐν ὑψηλῷ, *apud Strabonem Geograph. XV. Hinc ab exceſſu Cyri et inprimis aetate Artaxerxis qvosdam ſaltem ritus Perſicos ſenſim deinceps eſſe mutatos, auctore Clemente Alexandrino colligamus. Verum in eo Iulio Caeſari Bulengero non aſſentior, qvum putat, aut potius auguratur, multos Perſarum ritus e Graecia fuiſſe petitos. Eclog. ad Arnob. lib. I. p. 332. Id vero ut credam, adduci non poſſum, cum ob nativum Perſarum in Graecos odium, tum qvod de a-*

ſcito

ſito hoc e Graecia ritu nihil usqvam vel in Perſicis, vel in Graecis monumentis extat. Omnino autem ſolenne et ordinarium extra templa et ſana ſacrificandi inſtitutum fuit. De reliqvis Perſarum moribus, inſtitutis, veſtibus, atqve ornamentis vid. Herodotus I.121.132.III.16.Xenophon in paedia Cyri lib.I. ſeqq. Strabo lib.XV. Pauſanias in Laconuis 113.idemqve in Arcadicis 273.ubi affirmat, Antoninum Pium apud Romanos fuiſſe dignum, qvi perinde ac Cyrus communis pater appellaretur. Athenaeus lib. XII. Dipnoſoph. Dio Pruſaeus Orat XXXVI. et orat. XLIX. Locus eiusdem de Aſtyage aureis compedibus vincto orat. ult. LXXX lucem accipit ab Herodoto I. 130. Tiaram Perſarum Parthorumqve videtur qvidem opponere pilis, orat. LXXI. Sed capitis tegmen fuiſſe, oſtendunt veteres Mithrae inſcriptiones, qvae Perſas pileatos fuiſſe teſtantur. Conf. Scholiaſtae veteres Graeci et Latini, itemqve Tzetzes hiſt. Chil. IIX. c. 139. Iul. Pollux onomaſt. lib. IIX. cap. 13. Cuius locus lib. VII. cap. 14. mendoſus eſt, ubi τὴν τιάραν exprimere voluit, etſi vulgatus codex longe aliter legit, nihil tamen illic annotatum eſt a Ioachimo Kuhnio in animadverſionibus ad Pollucis onomaſticon. Interim vid. Herod. III. 12, Xenophon paed. Cyr. IIX. p. 215. Ibidem Κάνδυν adhibet, veſtimentumqve denotat, qvod togam manicatam reddunt, idqve expleant Heſychius et Suidas. Diadematis habitum, de qvo etiam apud Xenophontem eſt, ab Aegyptiis ſumptum communiter exiſtimant, qvod ex Diodoro Siculo confirmare licet, bibl. hiſt. I. 62. Praeterea comam aluiſſe Perſas, conſtat ex Herodoto VI. 16. et Ammiano Marcellino lib. XXIII. ibidemqve H. Valeſii annotationes p. 383. et ante eum Hadrianus Iunius in commentario de coma. Similiter torqves et armillas geſtarunt primores Perſarum, praecipue reges, apud Xenophontem de expedit. Cyri minoris, I. p. 266. et Cyri minoris, I. p. 266. et Cyri paed. VI. p. 169. ed. Leuncl. conf. Thomae Bartholini Schedion de armillis. Qvorſum referri poteſt conſvetudo veterum Germaniae Regum, qvi ſolenniter inaugurandi armillis et chlamyde induebantur, apud VVitechindum annal. lib. II. p. 15. edit. Meibom. De cultu et munere ſatraparum, de militiae genere et modo vid. Xenophon. Inprimis hic elucet Cyri prudentia, qvi homines in mollibus regionibus natos continuis bellis durandos eſſe cenſuit, moresqve a mitiori coelo formatos aſſiduo labore et diſciplina ad fortitudinem conſtantiamqve finxit. De Magis etiam ad gerenda negotia civilia adhibitis vid. Agathias hiſt. lib. II. Inter qvos et priſcos Germanorum ſacerdotes ea in parte qvaedam conſenſio ac ſimilitudo fuit apud Tacitum de mor.

mor. Germ. Mors Cyri, de cuius primis ac tenuibus initiis vid. Iſocrates in orat. ad Philippum p. 139. incidit in Olympiadis LXII. annum qvartum: cui reſpondet P. I. annus 4185. Superſtes Cyro fuit Croesus, cuius regnum captis Sardibus, Olymp. LIX. anno primo, occupatum eſt. Conf. Marmora Oxonienſia p. 165. Idcirco aliter de fine vitae Croeſi, aliter de fine regni eius loqvendum ſentiendumqve eſt, unde illuſtratur Laertius in Periandro. V. ibidem Palmerius p. 448. Imperavit Cyrus annis XXX. apud Ciceronem de divinatione l. I. Vid. Iacobus Malbrancq tract. Chronol. p. 708. De morte eius Xenophon in paed. lib. IIX. et inde Cicero de legibus lib. 2. Nihil ad ultimum Cyro M. conceſſit Otto M. et rerum pariter conſiliorumqve ſucceſſu et ſecundis praeliis Germaniam nobilitavit, armisqve defenſam auxit et collocupletavit. In Saxonia atqve Germanorum Francia, pariterqve in Belgio aulae ac potentiae ſedem habuit, Venedosqve repreſſit ac domuit, Boiemosqve ad officium redegit, Hungarosqve nondum divina religione imbutos coercuit et mitigavit, qvin etiam Gallos terruit atqve afflixit, omnes deniqve hoſtes fregit, fudit et profligavit, ac virtuti fortunam coniunctam habuit, et utramqve pietate ornavit, atqve adeo Cyrum vera felicitate anteivit. Cyrum qvidem, auctore Cicerone, *beatum ferunt*, ſed Ottonem reipſa fuiſſe beatum, et vita exemploqve ſe praeſtitiſſe hunc talem, dubitari non poteſt. *De illo vid. Cic. Cato maior: de hoc VVitichindus lib. 3.* Neqve in Ottone haec laus extincta eſt, ſed duravit, et non intermiſſa permanſit floruitqve in Filiis, his maxime, qvi eius in dignitate Imperii ſucceſſores fuerunt, et rebus factisqve inſeqventes Caeſares admonuerunt, Imperium armis qvaeſitum, armis retineri. Cyrus autem nec parem ingenio, et corruptam vitio ſobolem reliqvit, cuius indoles ab origine ſtirpis deflexit, et nullam prudenter agendi facultatem habuit, ut iam demum intelligere liceat, qvid ſit, qvamobrem Cambyſes, ipſius natu maior filius, cum ob crudelitatem et temulentiam, tum ob inſaniam et prodigalitatem paſſim, nec immerito, reprehendatur. *Vid. Herodotus III. 38. Clemens Alexandrinus in protreptico: Dio Chryſoſtomus orat. XXXVII. collat. XXV. De commutatis Perſarum moribus poſt Xenophontem tradit Agathias lib. 2. Regni eorum non meminit Homerus, qvi diu ante illud vixit et ſcripſit, idemqve nihil de Aſſyriorum Medorumve Imperio ſcriptum reliqvit, qvippe qvod ſuo aevo non norat, apud Strab. lib. XV. Geogr. Carmina autem Homeri cecinisse Perſarum reges, teſtis eſt Aelianus XII. 48. Recentius de regio Perſarum principatu commentatus eſt Barnabas Briſſonius, homo diligens et perinde doctus.*